2901 L XLVI
10/w
6695
7A
25/-
E1
Cat 72-560
WARENIUS
5/53

hic liber ſpectat
ad me M. Joo: Hermann
Doct: medicinæ.

ΝΟΣΟΛΟΓΙΑ

SEV

Adfectuum humanorum curatio

HERMETICA

ET GALENICA

Theſibus comprehenſa, AC

Conſentiente ſenatu Medico in Academia Roſtochienſe diſceptata,

PRAESIDE

HENRICO VVARENIO

Philoſopho & Medico Doctore,

Poſt obitum autoris in uſum Medicinam diſcentium collecta & publicata ſtudio & opera

IOACHIMI TANCKII

Philoſophiæ & Medicæ artis Doct. Anatomes & Cheirurgiæ in Academia, quæ Lipſiæ eſt, Profeſſoris publici.

Cum gratia & privilegio Electorali

LIPSIÆ

Excudebat Michaël Lantzenberger;

Sumtibus IOHANNIS ROSÆ *Bibliop. ibidem.*

ANNO 1605.

52157

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Reverendiſsimo, illuſtriſs. ac potentiſs. Principi ac Domino, Dn.

CAROLO,

DVCI MEGAPOLI-

tano, Epiſcopatus Raceburgenſis adminiſtratori, Principi Henetorum, Comiti Suerinenſium, Roſtochienſium & Stargardenſium Domino, &c.

Pariterq;

Illuſtriſsimis & generoſiſsimis Principibus ac Dominis, Domino

ADOLPHO FRIDERICO, RECTORI ACADEMIÆ,

quæ eſt Lipſiæ, magnificentiſsimo;

Et Domino

IOHANNI ALBERTO,

Ducibus Megapolenſium, Principibus Henetorum, Comitibus Suerinenſium, Dynaſtis Roſtochij & Stargardiæ, &c. Germanis Fratribus concordiſſimis,

Dominis meis clementiſsimis.

Necnon

Magnificis, Reverendis, conſultiſſimis, excellentiſſimis doctiſſimisq; viris,

Dn. RECTORI, DECANIS, DOCTORIBVS & MAGISTRIS, Academiæ Roſtochianæ Profeſſoribus;

AC

Ampliſſimis, clariſſimis, prudentiſſimis integerrimisq; viris,

Dn. CONSS. SYNDICIS & SENATORIBVS inclytæ Reipublicæ Roſtochianæ, Dominis, Fautoribus & Amicis meis colendis.

MEdicam artem, quam Galenus deſcripſit, à Regibus & Principibus ſtudio & induſtriâ haud vulgari olim excultam, & cultores ejus muneribus & honoribus affectos fuiſſe, hiſtorias abundè teſtari in confeſſo eſt. Quem enim fugit, Mithridatem potentiſſimum Ponti, aliorumq; plurimorum populorum Regem, hujus Medicinæ imò etiam illius ſecretioris peri-

peritum fuiſſe, quem nobiliſſima illa Antidotus, Mithridatium, tanquam autorem ſuum immortalitati conſecravit. Hic non tantam nominis gloriam, nec famam majorem, ex duabus & viginti linguis, quas perfectè calluit, ut nullum Regno ſuo ſubjectum per interpretem compellaret, neq; ex tot celeberrimis victorijs ſibi paravit, quàm Medicinæ ſtudium ipſi conciliavit: Imò cum à Romanis victus eſſet, ſe ipſum vincere non potuit, quod uſu ſui Mithridatij quotidiano corpus ſuum adeò firmaſſet, & tanquam πανοπλία munivisset, invictumq; à venenis effeciſſet, ut cum vitam veneno tollere mallet, quàm in Romanorum ſervitutem devenire, fruſtra id ſæpius tentârit. Hujus ſapientiſſimi Regis illuſtre exemplum auguſtiſſima domus Saxonica præbet, in qua principes omni ætate liberalium artium culturâ alijs illuſtribus familijs palmã præripuerunt; Medicinæ etiam non tàm amatores, quàm cultores ſtudioſiſſimi fuerunt. At maximè præcellit

 inter

inter eos principes auguſtiſſimi nominis & famæ AVGVSTVS Elector, propter auguſtam Antidotum Saxonicam, ſic ab eo appellatam, non tantùm venenis omnibus adverſam, ſed peſtifugam, & multorum morborum Panaceam. Quid porrò commemorem alios Regios Medicinæ cultores, quorum à Teucro Troadis, Teucrion; à Gentio Illyriorum, Gentiana; ab Eupatore, Eupatorium; à Clymeno, Clymenos; à Telepho, Telephium; ab Echio, Echiũ, Cappadociæ & Myſiæ Regibus nomen acceperunt: Horum fama vivet & virebit, quamdiu herbæ ab illis denominatæ vireſcent: Imò ipſis herbis, ſi fortè interierint, eos vivaciores futuros eſſe, teſtes mihi erunt Rei herbariæ ſcriptores poſteri.

Non minori imò majori ſtudio & cura alteram Medicinam, quæ Chemia vocatur, & penitius rerum naturas perquirit & introſpicit, ipſi Imperatores, Reges, Principes, Duces, Comites & Barones, ingeniję; excellentioris & nobi-

nobilioris homines indagarunt, & excoluerunt. Ea enim non minus, quàm prior Adamo, qui rebus omnibus, ſecundùm cujusq; naturam nomina impoſuit, ſanctisq; patribus nota fuit, etſi poſterioribus ſeculis ſubinde obſcurari cœperit, ut nunc majori opus ſit induſtria illam perquirendi & addiſcendi: præſertim quia à Græcis, à quibus omnem Philoſophiam & Medicinam qualiſcunq; ea ſit, accepimus, exculta non fuit, aut certè à paucis, qui illam poſteris vel non communicarunt, vel Poëticis fabulis tanquam ſapientiæ involucris occultarunt, quemadmodum idipſum ex Homero, Pindaro atq; Ovidio manifeſtum eſſe poteſt. Præcipuè verò hæc Philochemia & Chemiatria apud Ægyptios floruit, à quibus poſtea nobiliſſimæ hæ ſcientiæ & artes ad Arabes propagatæ fuerunt: Inde demum ad alias quoq; gentes pervenerunt. Ac primùm Colchidis Reges, qui & Ægyptij fuerunt, Chemiam ſuam eſſe voluerunt: Græci tamen, quia optimarum

artium & diſciplinarum ſtudioſiſſimi ſemper fuerunt, fama & ſapientia Colchicorum Regum moti & adducti, cum ab illis eam ſpontè impetrare non potuerint, Aureum vellus vi & armis rapere tandem conati ſunt. Inſtructa igitur claſſe Duce Iaſone in Colchidem navigant, Aureumq; vellus, quod Medea ſervabat, auferunt, ſed non tanto ſucceſſu, quanto conatu. Medea enim in ſanandis ægris, & juventute in ſenibus revocanda, ea arte admiranda apud Græcos effecit: Eam tamen felicitatem non conſecuti ſunt poſteri. Nam cum magis ad luxum quàm ſanitatem hominum hanc artem trahere cogitarent, ex illorum manibus divinum hoc munus elabitur. Excitata tamen fuerunt apud Græcos etiam ad hanc artẽ comparandam nonnulla ingenia, vel quòd naturam rerum diligentius perquirerent, vel Colchicam ſapientiam ab Ægyptijs primò perveniſſe intelligerent. Hinc Democritus in Ægyptum deſcendit, & à Sacerdotibus ibidem

Che-

Chemiam didicit, qui tanto ſtudio Naturæ inveſtigationi deditus fuit, ut à ſuis civibus, magis pecuniæ acquirendæ quàm ſapientiæ ſtudioſis, mentis non eſſe compos judicatus ſit, cujus tamen cerebrum minus, quàm civium, helleboro opus habuit, ſententiam hanc ferente Hippocrate. Exemplum Democriti ſecutus eſt Pythagoras, qui & ipſe in Ægyptum conceſſit, & à ſacerdotib. ſecretiorem Philoſophiam hauſit. Omni itaq; ætate cultores Chemiæ non defuerunt. Cum enim ab Ægyptijs, Arabibus & Græcis expelleretur, aliæ gentes & populi eam receperunt maximè Latini, qui tamen prius amplificandi regni ſui ſtudio magis tenebantur, quàm artium & Naturæ cultura. Hinc poſtea ad Germanos aliasq; gentes divina hæc ars, maxima cum luce Evangelij, Imperatore Carolo Magno pervenit: quæ tamē penes doctos ſemper manſit, ut ſoli Monachi eius poſſeſſores fuerint, pauci tamen, quos æquus amavit Iupiter. Poſtremò egreſſa de-

mum eſt ex Monaſterijs, ut jam paſſim non modò in illuſtrium principum aulis excolatur, ſed ij fermè omnes, qui Medicinam faciunt, & Galenicam abſq; hac imperfectam non temerè judicant, illius ſtudioſiſſimi indagatores ſint. Sanitatis enim & morborum cauſſas & ſemina remediaq; ex principijs proximis deducit & inquirit: cum Galenica Medicina morborum originem ex Elementis, quæ illis remotiora ſunt, elicere conetur, quemadmodum in mea utriuſq; Medicinæ Hermeticę & Galenicæ συγκρίσει oſtenſurus ſum. Chemiatri præterea in remediorum inventione Galenicis longè ſunt diligentiores. Nã duo ad morborum jam cognitorum expugnationem in remediorum indagatione neceſſariò conſideranda eſſe deprehenderunt, Remedij ſcilicet electionem & præparationem. Hinc Naturâ viam monſtrante Remedia triplici ordine diſtinxerunt, quæ vel ab animalibus vel vegetabilibus, vel mineralib. ſumantur. Vegetabilium vires inferio-

res

s in curandis morbis eſſe obſerva-
nt: His tamen ſuccedere ea quæ ex
imalibus parantur: Microcoſmi Me-
cinam excipio: omniũ verò ad mor-
rum ſanationes efficaciſſima ſunt
edicamenta, quæ mineralia & Me-
lla ſubminiſtrant. Deinde quia intel-
xerunt vim medicamenti non in pri-
is Elementorum qualitatibus potiſſi-
um ſitam eſſe, ſed ipſas ſæpè opera-
nem illius, quod curare debet, impe-
re, ſimplicium medicamentorum
natomen inſtituerunt, in qua ſingu-
ri artificio tria principia cujuſque
nplicis non tantùm eliciuntur, ſed e-
menta ſuperflua corpus ægrum ma-
s lædentia quàm ſanantia ſeparantur.
hac præparatione maximè conati
nt purũ ab impuro ſeparare, & hete-
genea ab homogeneis diſcernere &
ſtinguere, qua in parte Naturam du-
m ſecuti ſunt. Quare ut tutò citò &
cundè ſanare hominem ægrum Me-
cus poſſit, Remedij cùm electio tum
præ-

præparatio ſummè neceſſaria illi eſ
Hoc cum intellexiſſet clariſſimus VV
renius, cujus νοσολογίαν in gratiam di
centium publicamus, & Galenica
Medicinam imperfectam eſſe ration
& experientia didiciſſet, impellent
eum inſuper præſtantium virorum au
toritate, Chemiatriæ ſe quoq; dedit, i
qua feliciter ſanè verſatus eſt, ut, ſi fat
permiſiſſent, ad ejus faſtigium aſcend
re potuiſſet. Reliquit verò poſt ſe in
ter alia has de morborum curation
diſputationes, in quibus Galenica che
micis conjunxit, quas ſi vitam illi Deu
longiorem conceſsiſſet, abſoluto ope
re publici juris feciſſet: Id quod me
cum in Medica arte præcipui exopta
runt viri. Devolvitur igitur hæc re
nunc ad me, impulſu quidem nobiliſs
mi viri tàm virtute quàm eruditione
multarumq; rerum experientia ſplen
didiſsimi, ſecretioris cùm Philoſophiæ
tùm Aſtrologiæ peritiſsimi, Dn. Nico
lai Viccij, EQ. Poloni & Livoni, Cæ
ſareæ majeſtatis Dapiferi, &c. quon
dan

m ſereniſsimi Regis Sueciæ CARO-
Conſiliarij bellici, &c. Domini &
itoris mei obſervandi, cui ſoli hanc
itionem acceptam referant Medicæ
is alumni. Ad hoc editionis ma-
andæ officium me promtum para-
mq; illi dedi, & quòd manes doctiſ-
ni VVarenij eam expoſcere videren-
r, & docti Medicæq; artis ſtudioſi eã
ne efflagitarent ſedulò. Cuius au-
n auſpicio hanc νοσολογίαν in publi-
m emitterem dubius fui: Verùm
m à Natura omnium rerum paren-
&Chemicorum Duce fidiſsima mo-
rer, Fructus in Dominum agri redun-
re debere, Tutores & ceu Deos tute-
es, Genioſque hujus victuri libri a-
s eligere fas non fuit, quàm eos, ubi
c liber primùm natus lucem vidit.
ſtris igitur Celſitudinibus genero-
ſimis, Principes illuſtriſsimi, hanc
Varenianã νοσολογίαν humilimo ſtu-
o & ſubjectione dedico atque conſe-
o, quód veſter fuerit VVarenius, ſub-
e feliciſsima veſtra tutela & guber-
natio-

natione natus & educatus ſit: Vo
etiam Academiæ Roſtochianæ lumi
bus clariſsimis Magnifice Rector, p
ceresq́; literarij ſenatus præſtantiſsin
qui eum artibus liberalibus primò i
formaſtis, & ad honores dignitates
evexiſtis, muneribusq́; publicis præf
ciſtis: Vobis item vrbis fulcris firmiſ
mis, Ampliſsimi Conſules & Senator
prudentiſsimi, qui eum natum primù
ulnis excepiſtis & foviſtis, poliatrum
veſtrum eſſe voluiſtis, hanc *νοσολογί*
offero. Prodeat felici veſtro tanqua
Deorum tutelarium auſpicio in luce
liber, ab omni invidia & virulent
malevolorum & cerebroſorum hom
num judicio liber. In patrocinium ita
veſtrum VVarenium ſuſcipite princ
pes illuſtriſsimi, defendite veſtrum pr
ceres Academici clariſsimi: Senti
verò ANNA ſoror beatiſsimi VVaren
in quem ipſa, cum viveret, ſpem defix
omnem, veſtram, Senatus ampliſsin
cives præſtantiſsimi, opem, benevole
tiam & libertatem, quæ manibus Fr
tr

is gratiſsima futura eſt Parentatio.
Deniquc illuſtriſsimi & generoſiſsimi
rincipes, Rector, Conſules & Sena-
ores utriuſque Reipublicæ viri Magni-
ici, ampliſsimi & prudentiſsimi, hoc
neum ſtudium, opellamq́ue Medicæ
rtis promovendæ gratia ſuſceptam
obis gratam acceptamq́; eſſe, ut intel-
gam permittite & efficite, meq́ue ve-
ra gratia, favore, benevolentia & offi-
ijs dignum judicate: Id ſi humiliter &
fficioſè obtinuero, hîc mihi ſat eſt.
s, qui cor Regis in manu ſua tenet, re-
naq́ue ſtabilit, qui ſapientiam, per
uam Reges regnant, largitur, qui Me-
icinam creavit, DEUS æternus om-
iumq́; bonorum fons, Celſitudinibus
eſtris, TIBI CAROLE, valetudinem
onſtantem & firmam, gubernatio-
n feliciſsimam, ſapientiamq́ue lar-
tur & condonet; TIBI inſuper
DOLPHE FRIDERICE, RECTOR
cademiæ noſtræ Magnificentiſsime,
oncedat immortalem gloriam ex for-
unata & auſpicata gubernatione, quã

ad

ad Academiæ decus, emolumentum & incrementum dirigis; ac TIBI quoq; IOHANNES ALBERTE, utrique veſtrum clementiſsimo favore impertiatur ſtudiorum & ſapientiæ incrementa, quibus in poſterum veſtri ſubditi impenſè gaudere, & vrbes veſtræ creſcere & laudabiliter florere poſsint: Præeuntibus nimirum veſtris celſitudinibus, viris ſplendore & antiquitate generis nobiliſsimis, eruditaque doctrina & multarum rerum uſu clariſsimis Dn. VVolrado à VVatzdorff, Aulæ præfecto, & Dn. Theodoro à Sanden I. V. Doctore, conſiliario & moderatore: Matri denique V. Celſitudinum SOPHIÆ, verè Sophiæ, & matronæ planè Heroicæ, vitam det longævam, illuſtrium Filiorum longè dilectiſsimorum actionum felicis & ſalutaria gubernationis lætam ſpectatricem; Vobis etiam RECTORI & Academiæ Roſtochianæ proceribus, vrbisque Conſulibus & Senatoribus, vnà cum proſpera & durabili incolumitate feli-
ciſsimos

ciſsimos ſucceſſus in docendo & regendo veſtræ fidei commiſſos benignіſsimè concedat ad divini nominis laudem & gloriam. Valete. Lipſiæ, 1. Martij, Anno 1605.

Illuſtriſs. Celſitudinum
Veſtrarum

Subjectiſſimus

&

V. Magnif. Ampl.
& dignit.

ſtudioſiſs.

Ioachimus Tanckius D.
Anatom. & Cheirurgiæ Profeſſor publ.

Reverendiſsimi, atq; Illuſtriſ-
ſimi Principis ac Domini, Dn. CARO-
LI, Ducis Megapolenſium, Raceburgenſis
Epiſcopatus Adminiſtratoris, Principis He-
netorum, &c. ARCHIATER, & Reipublicæ
VVISMARIENSIVM ORDINARIVS,
Iohannes Aſſverus D. Dn. Henri-
co VVarenio D. S.

WARENI Aonidũ decus immortale ſororũ,
Laurigeri gemma & gloria magna Chori.
Phœbo Patre ſato, pariterq; & Pallade Matre,
Ipſa tibi nutrix contigit Uranie.
Cujus ab uberibus pendens cum lacte bibiſti
Ingenuum ingenium, tum ſimul, et GENIVM.
Sedibus æthereis genius tuus ille profectus,
Et cœlo natus dum pede tangit humum.
Vertice ſublimis fertur: terraq; poloq;
Naturæ rimans abdita ubiq; adyta.
Unde equidem Medicâ jam tu Coryphæus in arte,
Aegris pœoniam porrigis uſq; manum.
Ite Aſini indociles cœli, ite & diſcite tandem
Prognaſci Medicos ſedibus æthereis.

προσφώνημα

ad

HENRICI VVARENII,

Roſtochienſis Medici clariſsimi: Theſium authoris manes, & IOACHIMVM TANCKIVM Medicum præſtantiſsimum: inclutæq; Academiæ Lipſenſis Profeſſorem publ. cujus nunc operâ & ſtudio hæ theſes in lucem eduntur.

Αἰζηὸς σὺ δαμεὶς θανάτῳ, καὶ κηρὶ μελαίνῃ,
τοῦ ῥόδου ἐν πολέτρῳ φάρμακα ἐσθλὰ
διδοὺς.
νῦν καὶ ἔτ' ὄπλεαι λαμπρὸν φάος ἠελίοιο
ἄξιος, ἰητρῶν ὅσκεν ἄριστος ἔῃς.
Ἱπποκράτης τε βραχὺς περὶ νούσων, ἠδὲ Γάληνος
γράψαν ἃ, ἀθάνατον τοῖν κλέος ἐστὶν ὑπὲρ·
πάντα σὺ τοῖς ὀλίγοις κατελέξαο ταῦτα πρε-
πόντως
θήμασι, καὶ βραχέως, καὶ μάλα δὴ σαφέως.
εἴδεα τῶν νούσων, ἠδ' αἴτια, ἠδὲ καὶ ἤθη,
ἀργαλέον παρέχει ὅσσα νοσοῦντι πόνον,

οἶδα μάλ' ἀτρεκέως, θεραπεύειν πάντε νόσημα
οἶδ', ὅ, τι ἰατρικῇ ἐστιν ἀλεξέμεναι.
αὐτὰρ ἐπεὶ θεῷ ὑψιμέδοντι τόδ' ἥνδανεν οὕτως,
ἡμᾶς σου πότμον χρὴ μαλακῶς φερέμεν.
οὔπω τῇ πάντως σὺ θάνες πολυφόρβῳ ἐπ' αἴῃ,
ἀγλαὸν ἰητροῖς ὃς περὶ κῦδος ἔχεις.
Ταγκίου ἐστὶ γέρας, σέο νῦν ὅτι γράμματα αὖθις
δεύτερον ἰητρῶν χερσὶν ἕν ἐστι βροτῶν.
Τάγκιε ἰητρῶν τῶν Λειψιακῶν ὄχ' ἄριστε,
λυγρὰς ὃς νούσους ἀτρεκὲς οἶδα λύειν·
πάντες ἀεὶ ἕξουσι (σὺ ταῦτ' ἐγκάτθεο θυμῷ)
ἰητροὶ μεγάλην σοι χάριν ἐσσόμενοι.
σὸν κλέος ἔσσετ' ἀεί, ἐνὶ αἰγλήεντι ἔσονται
οὐρανῷ ἄστρα ἕως, ἀμβρότου ἔργα θεοῦ.

Perſcriptum à

M. Chriſtoph. Preibiſio
Sprottavienſi Sileſio φιλιάτρῳ.

AD

Ad
Excellentiſs. Virum virtute & omnigena doctrinâ præſtantiſsimũ D. Ioachimvm Tanckivm Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem & Profeſſorem, Præceptorem de ſe benè merentem Andreæ Perſtenij

προσφώνησις.

DVm tua te virtus fulgentibus inſerit aſtris
Laude nova complens ſolis utramq; domũ,
Ingenij genio puro, & prædivite cenſu
Eruis in lucem commoda plura ſuam.
Excipis expoſitos alieno ſidere fœtus
In ſera & vivant poſteritate facis.
Nunc Panacea ægris divina conficis arte
Coniungens Chemicis Hippocratæa bonis.
Nunc arcana Deo cæcis abſcondita fibris
Doctè demonſtras, quæ Microcoſmus habet;
Te duce Hygeîa caput cœlo infert, te duce in unum
Fœdus it Hippocrates Mercuriusq; ſacer.
Salve Heros: nec cæde malis, audentior ito:
Invidia haud alijs ſed nocet ipſa ſibi.

RESPONDENTIVM
MVNERE IN SVBSEQVENTIBVS Diſputationibus perfuncti ſunt.

Iohannes Battus Hamburgenſis fol. 1.
Matthæus Backmeiſterus Roſtochienſis fol. 13. 78. 117. 179.
Bernhardus Olderman Roſtochienſis f. 23. 88. 128 190.
Paulus Deſiderius Foſsius, Haffnienſis Danus f. 37. 98. 147. 215.
Iohannes Frida Oſnabrugenſis, VVeſtphalus f. 46. 138. 156.
Ioachimus Urſinus Pomeranus fol. 58. 107. 170. 229.
Iohannes Goniæus Roſtochienſis fol. 68.
Henricus VVarenius fol. 201.

ΝΟΣΟ-

ΝΟΣΟΛΟΓΙ-ΑΣ VVARENIANÆ Diſputatio I.

DE FEBRIBVS IN GENERE, ET IN SPECIE DE EPHEMERA.

in quâ reſpondentis munere fungebatur

IOHANNES BATTVS Hamburgenſis.

THESIS I.

R*Ectiſſimè Galenum noſtrum; præceptionem in univerſalibus: exercitationem in particularibus conſiſtere: dicentem, ſtatuiſſe arbitror. Nos itaque Galenico hoc præcepto admoniti, miſſis nunc univerſalibus, ab eodem fuſè ſatis tum alibi; tum maximè in lib. de morb. ſymptomatumq; cauſis & differentiis propoſitis: ad particularium, ab eodem inter alios, libris de febribus, de arte Curativa ad Glauconem, meth. medendi, aphoriſ-*

morum comment. de locis affectis, &c. explicatorum διήγησιν accedemus: quo ſic in his ipſis, illorum utilitas fiat evidentior.

2. In quibus ſanè particularibus, cùm alia ſeſe quàm latiſſimè extendere liquidò conſtet; alia exiguis quaſi quibuſdam cancellis circumſcribi: ab illis meritò hîc nobis initium eſſe faciendum arbitramur.

3. Illorum itaq; in cenſu cum jure meritò habenda ſit univerſa febrium cohors, à quâ videlicet non una exiguáve aliqua humani corporis particula: ſed totius microcoſmi, modo licet diſpari, partes univerſæ redduntur infeſtæ: hanc ipſam mox nobis in initio examinandam cenſemus.

4. Quam eò rectius & plenius ut diſquiramus, ἔτυμον hujus penitius introſpiciendum. A fervendo igitur qui febrim dictam volunt, non ineptè videntur iỹ facere. Hippocrates quippe noſter dum πῦρ appellat, eodem reſpexiſſe non injuriâ aſſeritur.

5. Haud longum hinc abeſt Varro, qui febrim à februo, Sabinis purgamentum denotante, denominatam fuiſſe affirmat. Ea enim eſt caloris natura, teſte Philoſopho, ut ſegreget heterogenea, reſiduis faciente homogeneis: quod ubi factum, depurationem eſſe factam quis negare auſit?

Definitio. *6. Definitionem quod ſpectat, ex variis Galeni locis hanc tandem elicimus:* quod ſit calor

præter-

præternaturalis *in corde incenſus, & inde in univerſum corpus, mediantibus venis & arterijs, effuſus, actiones primùm & per ſe lædens. Gal. l. 2. temper. c. 2. lib. 1. aph. 14. & 16. l. 2. meth. med. c. ult. l. 8. Meth. c. 1. & 9. & 14. l. 1. de victu acut. §. 16. l. 1. diff. Feb. c. 3. l. 1. ſympt. cauſ. c. 5. l. 1. morb. cauſ. c. 2. l. 6. Epid. ſect. 1. §. 29.*

7. *Nec enim quemvis calorem pro febre habendum cenſemus, qui in corpore noſtro quovis modo, & quavis de causâ, oboritur: ſed illum dumtaxat, qui fontem caloris innati oppugnat; actionesq́; præcipuè vitales ſenſibiliter lædit.*

8. *Quia verò à Medicis in controverſiam rapitur ut cum maximè; hæc ne intemperies Calori innato fixo; an vero fluenti magis ſit infenſa; non abſque ratione de fixo hoc affirmari rectè & commodè videtur.*

9. *De quo enim ſanitas enunciatur, huic & morbus, ratione contrarietatis, aſſcribendus erit: ſanitas verò & actionum integritas à fixo potius innato calido, quàm à fluente, cenſetur dependere: quippe quod hoc ipſum de eſſentia partium ſimilarium habeatur.*

10. *Morbus ſiquidem cum partis viventis ſit affectio: malè calido fluenti, (quod ſpiritibus & ſanguini ſpirituoſo naturâ proximum, hiſce immixtum) attribuitur. Unde patet, quantis in erroribus verſentur, qui febrium differentias à*

Spiritibus in ſiniſtro, vel ab humoribus in dextro cordis ventriculo contentis incenſis, deſumi exiſtimant: quippe qui morbum à causâ morbi interſtinguere neſciant.

11. *Nec tamen ita propriam hanc facimus calido innato fixo intemperiem, ut fluens planè immunis relinquatur: ſed & eundem in intemperiem abripi aſſeveramus. Hic enim cùm in humoribus & ſpiritibus in univerſúm corpus ſit fluxilis; facit itidem, ut totum in partis conſenſum pertrahatur.*

Cauſæ. 12. *Enaſcitur autem calor hic præternaturalis in corde, atteſtante Galeno lib. 1. de differentiis febrium c. 4. comprobante experientiâ, quinq; de cauſis: vel propter motum vehementiorem aut corporis, aut animi: vel propter putrefactionem: vel propter externi calidi contactum; vel propter calidi effluvii, fuliginoſive excrementi ſuppreſſionem: vel deniq; propter calidæ cujuſdam ſubſtantiæ permixtionem.*

13. *Modum immutationis horum ſingulorum in corporibus perſequi, brevitatis lex, quam ſectamur, inhibet: Videri tamen is poterit apud Galenum dicto primo de febrium differentiis libro, à cap. 4. ad 7. ubi prolixè is explicatur.*

14. *Delibatis nunc hiſce breviter potius, quàm explicatis; ad differentias febrium progredimur: quas quia à forma rei eſſentiali deſumendas Philoſophi jubent:* τὸ δὲ εἶναι *febris in*

Calore

Calore præternaturali conſiſtere, ex definitione theſi 6. propoſita, manifeſtum ſit: rectiſſimè quoque ex hujus differentiis illius differentias rimabimur. Vide Galenum l. 1. diff. feb. c. 1.

15. *Præcipuæ verò hujus differentiæ à caloris qualitate, motu & ſubjecto hoc in loco deſumuntur: Qualitatis igitur ratione, aliæ dicuntur Hippocrati 6. Epidem. 1. textu 17. Mordaces, quoad tactum, ut putridæ; aliæ minus mordaces ſive mites, ut Ephemera.* Differentiæ.

16. *Ratione motus, vel Increſcens, cùm acrimonia caloris intenditur: vel miteſcens, cùm ſcilicet eadem paulatim imminuitur: Medicis appellatur.*

17. *Præcipua tamen & Practicis ferè omnibus perquam uſitata eſt, quæ à caloris ſubjecto depromitur. Hic enim cum vel in Impetum facientibus, ſpiritibus ſtabuletur: vel in Contentis, humoribus, hæreat; vel deniq; in Continentibus, ſive ſolidis partibus: pro diverſitate ſubjectorum, diverſimodè etiam agens, & febrium differentias diverſiſſimas introducit.*

18. *Inprimis etenim ſi hæreat, Ephemeram Medicis appellatam inducit. Hanc Hippocrates citato loco πεμφιγώδεα, i. flatuoſam: quod tum alibi, tum maximè libello de Flatibus, ſpiritus à flatibus non ita accuratè interſtinguat: nominavit. Humores cordis ſi infeſtet, Seni noſtro ἰκμαλώδης, i, humida: aliis vulgatiſſimè humoralis,*

 dicitur,

dicitur. Continentibus tandem ſive ſolidis cordis partibus ſi infenſus ſit calor, Hectica vocatur: Hippocrati ξηρὸν ἰδεῖν πυρετόν.

19. *A poſteriori hac non multum abire videtur illa, quam Fernelius lib. 4. patholog. c. 2. propoſuit; licet & à ſubjecto, & qualitate caloris ſit deprompta. Diſtinguit itaq; is loco dicto in Simplices, Putridas & Peſtilentes: Simplicibus aſſignat Ephemeras, ſynochos & hecticas: Putridis, Continuas & Intermittentes: Peſtilentibus illas adnumerat, quæ non ſolo calore, ſed peſtilenti & maligna pernicie, aliàs ſpiritus, aliàs humores, aliàs ſolidam partium ſubſtantiam contaminant.*

20. *Sunt & aliæ quàm plurimæ ab adjunctis deſumptæ apud authores differentiæ: dum quædam continuæ, quædam intermittentes: quædam primariæ, quædam per conſenſum, &c. appellantur: Sicut & nonnullæ benignæ; aliæ malignæ ſeu mali moris cognominantur. Pariter ex mente Paracelſi à Sulphurum differentiis inflammationem ſuſtinentibus alias qui differentias nectere voluerit, non obſtamus: id dummodò ſobriè peragatur. Nec enim id faciens, à nobis niſi verbis, longius abierit.*

21. *Hæc de febrium natura, cauſis & differentiis generatim dixiſſe ſufficiat: reliquum eſt ad differentiarum enodationem ut accedamus: in quibus cum præcipuæ ſint illæ, quæ à caloris*

ſub-

ſubjecto deſummuntur, & in his ſimpliciſſimæ, quæ Spiritibus inſident, ab harum explicatione initium faciemus.

22. *Ephemera hæc dicitur Medicis, nomine non ab eſſentiâ ejusdem; ſed, convenientiori deſtituti, ab eventu, deprompto: quod nempè diurno ferè ſpacio finiatur; nec, ſi abſit error vel ægri, vel aſſidentium, vel Medici, ultra 24. horas protrahatur.* Ἐφήμερον *enim, diurno quod ſpatio abſolvitur, appellare, frequens eſt authoribus: uti patet ex Ariſtotele lib. 5. de hiſtoriâ animal. c. 19. Dioſcoride lib. 4. cap. 84.* Ephemera.

23. *Definiri poterit: Calor præter naturam in ſpiritibus cordis æthereis, calidi innati & fixi pabulum exiſtentibus, incenſus, inde per venas & arterias cum calido fluente in totum ſeſe corpus diffundens, actionesq; manifeſtè lædens.* Definitio.

24. *Ratione ſubjectorum duplicem hanc Medici faciunt, aliam Simpliciter dictam, in Spiritibus reſidentem: quæ 24. horis terminatur: de quâ hoc loco agimus: aliam cum adjectione plurium dierum, quibuſdam Ephemera ſynocha, ſynochus ſimplex & ſine putredine, Barbaris ſynocha inflativa. Hæc ſubjectum inhæſionis unà cum ſpiritibus ſanguinem ſupercalefactum agnoſcit: qui cùm ſpiritibus ſit corpulentior atq; denſior, diuturniori quoq; calore febricitantem affligit. Gal. l. 2. diff. febr. c. 11.* Differentia.

25. *Ephemerarum origo ſemper à cauſa* προκατ- Cauſa.

κατα̉ρκτικὴ dependet; tales ſuprà generatim theſi 12. ſunt propoſitæ; putredinem tamen in illis excipiendo. Speciatim verò de ſententiâ Galeni, tum alibi, tum maximè lib. 1. artis Curativæ ad Glauconem c. 2. laſſitudo, ebrietas, ira, mæror, aliaq; animi pathemata vehementiora, inguinum item bubones, &c. de quibus vide Gal. loco ſuperius citato, tum etiam lib. 1. de differ. febr. c. 8.

Signa. 26. *Dignoſcuntur Ephemeræ ex cauſis febrem inducentibus, ex modo & qualitate caloris, ex pulſu & urinis, ex forma ipſius febris & partium ejusdem.*

27. *Cauſam itaq; , ut antea dictum, hæ ſemper habent procatarcticam, eamq; immediatam, & in eo à putridis & hecticis diſtinguuntur, quæ & ipſæ nonnunquam à procatarcticis; ſed mediatè tamen, inducuntur: particularia cauſarum ſigna petantur ex Gal. loco antè citato.*

28. *Caloris qualitas, propter ſubjectum inhæſionis, ad tactum ſuavior atq; mitior eſt, quàm in reliquis febribus: licet enim ad primam manus pectori admotionem acris appareat; tamen ſi paululum moram ibidem agat, is facilè & promptè miteſcit ac ſuperatur, cujus contrarium in aliis contingit.*

Pulſus. 29. *Pulſus eſt magnus, vehemens & velox, omnis ferè inæqualitatis expers. Diaſtole tamen aliquantulo major eſt Syſtole, quòd illius quàm*

bujus

hujus major ſit neceſſitas. Urinæ ſanorum uri- Vrinæ.
nis quam ſimilimæ: interdum tamen paulò plus tinctæ, cum optima hypoſtaſi: in nonnullis cum nebula vel Eneoremate, pro diverſitate cauſarum & ægrorum.

30. *In formâ & hujus partibus, conſiderantur tempora Ephemeræ particularia: initium, quod ſine horrore aut rigore; incrementum æquabile; vigor ſine pravis ſymptomatibus: declinatio brevis cum ſudore, madore, vapore; quam ſuſcipit plenaria febris ſolutio: Summa, totius febrilis hujus conſtitutionis, εὐφορία quædam, ab aliis quæ febribus abeſt.*

31. *Subjectum hujus febris uti leviſſimum, ita* Progno-
& ipſa placidiſſima; quæ tamen ſi citra ſudorem, ſtica.
madorem, vaporemve terminetur; in calidis & ſiccis corporibus, in Hecticam: in cacochymicis verò, in putridam abit. Ephemerâ ex cruditatibus obortâ, alvum lubricam eſſe, bonum: conſtipatam, malum. Febres omnes ex inguinum bubonibus natæ, malæ: præter Ephemeras, Hipp. 4. Aphor. 55.

32. *Curationem hujus facilem, dignotionem* Curatio.
verò difficilem adſerit Galenus l. 1. ad Glauc. c. 2. Probè igitur hac cognita, cauſaq; inſuper perſpecta: contrariis aggredienda erit curatio, idq; vel diæta, vel pharmacia, vel etiam interdum Chirurgia: quibus tamen poſterioribus magis ferè ad præſervationem, quàm curationem

utimur : iis igitur miſſis de primâ erit dicendum.

33. *Diætam in genere ex aph. 16. lib. 1. Hipp. inſtituere oportet humectantem : cibi ſint* εὐχυμοι, *facilisq; concoctionis, tales ſunt Ptiſana & cremor hujus, pulticula hordacea & avenacea, carnes pullorum gallinaceorum : ab ovis tamen abſtineatur : piſces item ſaxatiles, & id genus alia concedi poſſunt. Galen. l. 8. meth. med. c. 3.*

34. *Pro diverſitate tamen cauſarum & temporum morbi victus quoq; immutetur. Sic quibuſdam in principio, ab exhauſto quippe laborantibus : plerisque demum in declinatione, cibum dare competit : aliјs item cibus & potus ad calidum & humidum vergens, uti qui ex cruditatibus, mœrore, conſtipatione pororum cutis, & prohibita tranſpiratione febricitant : nonnullis ad frigidum humidum declinans convenientior. Horum omnium quantitas ex indigentia, temperamento, ætate, ſexu, conſuetudine ægri, &c. æſtimari debet.*

35. *Ad diætam quoq; referimus Balnea, unctiones & frictiones, quibus ferè tribus ad Curationem Ephemeræ contenti fuerunt veteres. Hi quatuor Balneorum partes agnoverunt, ut eleganter ex Gal. l. 10. meth. c. 10. declarat Foreſtus l. 1. de febr. obſerv. 6. in ſcholio : harum verò partium duæ cum nobis tantùm in uſu ſint, Vaporarium, pro ſudore evocando : & ſolium aquæ dulcis, pro corporis ſordibus detergendis,*

gendis, eoq́; humectando: alterutrius uſus in declinatione, attamen de conſilio Medici, commodè iniri poterit.

36. *Unctiones, quæ fiunt manibus oleo dulci inunctis, & ita ægri corpore blandè perfricto, quò pori ante uſum balnei rectius aperiantur, cum nobis non adeò ſint conſuetæ, alijs relinquimus: frictionibus tamen, dummodo tempeſtivè adhibeantur, locum ſuum concedimus.*

37. *Medicamentorum quoq; hic non adeò magnus eſt uſus, niſi forſan in corpore Cacochymico, ad præcavendam putridam, purgante medicamento imminuere Cacochymiam velimus.*

38. *Si cui tamen pro attemperando Spirituum fervore, ijſdemq́; refocillandis, aquis Roſarum, bugloſſæ, borraginis, acetoſæ, ſimili ve aliqua cordiali, Syrupo acetoſellæ, borraginis, idq; genus alio, attemperatis, uti placuerit, non prohibemus: hoc tamen admonendo, convenientiſſimum nobis videri, prædictis Olei Camphoræ,* Chemica. *vel Auri potabilis aliquot gutt. vel Magiſterij perlarum pauca grana, ſi immiſceantur.*

39. *Idem de Chirurgia eſto judicium: Ephemera etenim ratione ſui ipſius, Chirurgicum auxilium non expoſtulat; ſed eadem ſi corpus plethoricum invadat, ad præcautionem Synochi, Venæ ſectio admitti poterit.*

Diſputationum
DE FEBRIBVS
HVMORALIBVS PRIOR,
quæ eſt in ordine Secunda.

Reſpondebat

MATTHÆVS BACKMEISTERus Roſtochienſis.

THESIS I.

Humor. H*Umoralium nunc febrium hiſtoriam perſequemur, quod ut fiat eò rectius, humorum naturam priùs declarare annitemur. Cum celebrioribus itaque Medicis hos vocamus,* quicquid fluidum in corporibus humanis reperitur.

Differentiæ. 2. *Duplices ſunt tales: alimentarij quidam, nonnulli excrementitij: hiq; vel nonnaturales, quod quidem naturæ utiles ſint; nihilominus tamen expellantur: vel præter naturales, quòd planè inutiles atque noxij.*

3. *Alimentarius propriè eſt ſanguis, qui cùm partibus heterogeneis conſtet, hæq; analogiam quandam cum excrementitiis quibuſdam, in quos degenerant citiſſimè, obtineant; ab hiſce quoq; denominationem acceperunt: ut ita dicatur Sanguis conſtare ex ſanguine propriè dicto* Alimentarij. *qui conſiſtentiâ mediocris, colore purpureus, ſapore dulcis, temperamento calidus & humidus*

ex bile alimentaria; quæ veluti prioris quædam efferveſcentia, colore flammeo, ſeu ex rubro flaveſcente, ſapore dulci, ſed cum levi acrimonia, temperamento calidior & ſiccior: ex pituitâ, ſanguine ſcilicet crudiori, quæ priore eſt craſſior, colore ex rubro albeſcente, ſapore inſipido, ulterioriq; concoctione, ſanguine deficiente, in illum convertitur: & tandem ex Melancholico ſanguine, præ reliquis craſſiſſimo, colore ex purpureo nigreſcente, ſapore dulci cum adjunctâ levi aciditate.

4. *Hic ut eò rectius in univerſum corpus diſtribueretur, & venas quaſq; etiam minutiſſimas pervaderet, provida huic natura ſeroſum quendam humorem adjunxit, qui in ventriculo mox è potulentis & eſculentorum parte humidiori progignitur. Ichorem hunc Medici vocant, & ex hoc, per Phlebotomiam cum ſanguine extracto, poſtmodumq; in matulam, à factâ ſegregatione, infuſo, æquè ut ex lotio, de morbis venoſi generis, judicium ferunt.* Ichores.

5. *Excrementitij utiles ſunt, lac, ſemen, menſtruum, &c. minus his, qui ex parte non naturales, ex parte præter naturales, bilis, melancholia, & pituita, excrementitij, qui corpori alendo inepti, vi naturæ ſecreti, procul amandantur: quiq; ſi vel extra propria receptacula, vel etiam in ipſis juſtò diutius retineantur, naturam deſtruunt, morbisq; infeſtant.* Excrementitij.

6. Plu-

6. *Plures horum omnium ſunt differentiæ, non tantùm nominibus; ſed & materia, & efficiente, & locis quoq; natalibus diſtinctæ, quæ omnes varias febrium differentias producere ſolent.*

Bilis ſpecies.

7. *A bile namq; non naturali ut ordiamur, hæc quadruplex eſt. Prima: Ovi crudi vitello ſimilis, unde & vitellina dicitur: in Epate & venis ex naturali, adaucto calore, tenuiores illius partes diſſipante, craſſiores magis incraſſante, producitur: cæteræ tres ſpecies magis in ventriculo ex corruptione ciborum, rarius in venis ex Vitellinâ per ulteriorem aſſationem procreantur. Rectius hæ præternaturales dicuntur, quod à cauſis morbificis oboriantur: Suntq; Bilis* πρασοειδὴς *ſive porracea:* Ἰώδης, *æruginoſa:* Ἰσατίδης, *glaſtea: ſub qua & cærulea: quarum poſterior ex priori per intenſiorem calorem, & diuturniorem moram gignitur.*

Melancholiæ ſpecies.

8. *Præter non naturalem Melancholiam, quæ in ſplene reſervatur, ſunt & aliæ præternaturales Melancholiæ ſpecies: quarum alia ex Melancholico ſucco; alia ex cholera: utraq; per aduſtionem & quaſi incinerationem producitur: quarũ hæc poſterior propriiſſimè bilis atra dicitur, tantæ acrimoniæ, ut partes rodat & exulceret; imò terram quoq; ipſam, effuſa in eam, fermentat.*

Pituitæ ſpecies.

9. *Non naturalis pituita variè etiam accipitur. Nam & quod exſcreatur, & qui per nares ac palatum defluit mucus, pituita appellatur.*

tur. Sicut & grandinoſa illa materia, quæ in pulmonibus, in oculorum palpebris, in articulis nonnunquam colligitur.

10. *Præternaturalis pituitæ tres præcipuæ ſunt ſpecies: Acida naturalis multò frigidior, ob defectum concoctionis primæ prognata: Vitrea quæ vitro fuſo ſimilis, majoris, quàm prior, cruditatis ſoboles. Hæc partibus adhæreſcens, graviſſimorum dolorum cauſa exiſtit. Salſa tandem & viribus, & materia à prioribus diverſa. Calida namq; eſt, & vel à putredine pituitæ naturalis, vel mixtione ſalſi ichoris prodit.*

11. *Hæc eſt humorum natura, qui cauſæ febrium humoralium, exinde appellatarum, exiſtunt: Quarum duplex eſt claſſis. Prima in Sanguine vel etiam bile efferveſcentibus, phlogoſinq; patientibus deprehenditur: illam Ephemeram plurium dierum appellari ſuperiori diſputatione diximus: hanc cum Fern. l. 4. pathol. c. 4. NothamSynochon nominare licet. Altera ab humoribus putreſcentibus inducitur, indeq; putrida cognominatur.* Febr. humor. differentiæ.

12. *Definitur calor præter naturam ab humoribus putreſcentibus in cordis humoroſa ſubſtantiâ accenſus, indeq; mediantibus venis & arterijs in univerſum corpus diſperſus, actiones primò lædens.* Defin. Febris humoralis.

13. *Putredinis hîc rationem habeamus neceſſum eſt, quam Ariſtoteles l. 4. Meteor. c. 1. Corrupti-* Putredo.

ruptionem caloris nativi ſive proprij in quolibet humido ab extrinſecus adveniente calore: definit. Quamdiu. n. quicquam proprio calore regitur, tamdiu vegetum atq; ſanum vivit & viget: aſt illo evaneſcente interitum adeſſe neceſſum eſt. Extrinſecus v. accedere hunc calorem oportet, ſive id fiat vi externa immediatè: ſive mediatè per obſtructiones, reſpirationem & inſpirationem impedientes, vnde ventilatione caloris nativi inhibitâ, fuliginoſorumq; excrementorum tranſpiratione ſuppreſſa, illum obrui atq; ſuffocari neceſſum eſt, alienumq; denuò in corporibus repullulaſcere.

Differentiæ. 14. *Duplicem conſtituit talem Ariſtoteles dicto loco putredinem: Unam* καθόλου *ſeu univerſalem, & naturalem nominat, eandemq; impropriè ſic appellari oſtendit: hanc ſimplici & naturali generationi, ut maximè commune contrarium opponit, corruptioniſq; rerum naturalium, quæ ſecundùm naturam intereunt, communem terminum atq; finem ſtatuit. Alteram propriiſſimè ſic dici ait, eandemq; violentam & morbidam affectionem eſſe, &* κατὰ μέρος *corruptionem vocari, quæ morbidæ & violentæ corruptionis terminus exiſtit.*

15. *Cum hac Philoſophi ſententia Medicos conſentire, Galenum l.* 11. *Meth. med. c.* 8. *inſpicienti manifeſtiſſimum evadit. Dum enim ibidem is ait: Putredinem eſſe mutationem totius corporis*

corporis putreſcentis ſubſtantiæ ad corruptelam, à calido externo: quid quæſo aliud aſſerit, quàm Ariſtotelem aſſeruiſſe modò vidimus. Hoc ſaltem intereſt quod Ariſtoteles de abſolutâ jam, Galenus v. de etiamnum adhuc fiente loquatur.

16. *Differentiam utriusq; putredinis hanc eſſe patet, quod in naturali, tum demum inſitus calor ab extrinſeco exigitur, cum annorum decurſu ſeipſum ita debilitavit, ut à leviſſimo calore externo diſſolvi queat. In propriè vocata putredine, violenta eſt hæc inſiti caloris corruptio, atq; tum eveniens, cum calor inſitus vegetus atq; robuſtus etiamnum exſiſtit.*

17. *Præterea in naturali putredine totum æqualiter ſervata partium analogia diſſolvitur & contabeſcit: in morbidâ, reliquis partibus integris, una quæpiam corrupta eſt. Adhæc naturalis plurimum ab ambiente aëre inducitur: morbida à peregrino quovis, frequentiſſimè ab obſtructione ſuſcitatur.*

18. *Deniq; naturalis putredo eſt affectio mixtorum, quoad mixta ſunt, ac ſolis inanimatis accidit: Morbida tum animatorum, tum inanimatorum communis eſt. Poſtremò, Naturalis putredo terminus interitus naturalis: violenta autem illius terminus aſſecutionis eſt inhibitio.*

19. *Ex enumeratis conſpicuum eſt, putredinem naturalem hic locum minimè habere: relinquitur itaq; altera κατὰ μέρος, uti admittatur. Ea*

B nam-

namq; eſt hujus natura, dicente Galeno l. 1. de diff. feb. c. 5. & l. 11. Meth. med. c. 4. ut calida & humida, præſertim ſi multa, in calidis locis contineantur, & non difflentur neq; refrigerentur, promptiſſimè invadat: humoribus ergo id contingere citiſſimè, nil mirum.

20. *Quia verò inter agens & patiens Analogia requiritur, hæc quoq; inter calorem extraneum & humores, ſive alimentarios, ſive excrementitios ut adſit, neceſſum erit. Prout hæc igitur fuerit, vel hi, vel illi putredine corripientur: unde & pro hac diverſitate tot & ſimplicium, & compoſitarum febrium ſpecies, de quibus paulo poſt, efflореſcent.*

21. *Aptitudo autem hæc atq; analogia introducitur in humores, aut prava victus ratione, uſu videlicet alimentorum ſuâ naturâ vitioſorum, vel etiam corruptorum; ſive corruptionē hanc antea jam habeant, ſive ea in ventriculo tandem his introducatur: aut depravati aëris per inſpirationem & reſpirationem attractione: aut tandem medicamentorum putrefacientium uſurpatione.*

22. *Ex antea commemoratis humoribus per putredinem dictam variæ producuntur, febrium differentiæ: quarum præcipuæ vel ab humore putreſcente, vel à loco, ubi putreſcit, deſumuntur: reliquas quæ variæ apud authores occurrunt, febrium putridarum differentias hîc miſſas facimus.*

23. Hu-

23. *Humorem quod attinet, hic ſi putredine in homine ſymmetro apprehendatur, cum ibi ſanguinis alimentarii κατ' ἐξοχὴν vocati putam eſſentiam maximè redoleat, Synochus accendetur putrida: ſin dictus bilioſiori redundet ſanguine, tertianâ infeſtabitur: ſin Melancholicus exſuperet ſanguis, quartanâ affligetur: ſin tandem pituitoſior ſit ſanguis, cotidiana hunc malè habebit.* Diff. ab humoribus.

24. *Ratione loci vel in vaſis majoribus inter alas & inguina decurrentibus dicti humores putreſcunt; vel in exilioribus, viſcera, aut habitum corporis perreptantibus: vel etiam extra vaſa in aliâ quapiam corporis cavitate. Primum ſi fiat, idq; in ſanguine putreſcente, Synochus putrida enaſcetur: in bile, cauſos vel tertiana continua: in Melancholia, quartana: in pituitâ, cotidiana, itidem continuæ: Sin alterum, eædem febrium ſpecies, ſed quodammodo interpolatæ & intermittentes producentur: ſi tertium, propriiſſimæ ſui generis cientur intermittentes.* Diff. à loco.

25. *Continuæ dicuntur eæ febres, quæ ad totalem remiſſionem ſeu infebricitationem nunquam perveniunt, licet interdum per paroxyſmos ingraveſcere videantur: ſed continuatim affligunt, uſq; dum penitus ſolvantur & terminum ſuum aſſequantur.*

26. *Hæ vel in eodem ſemper vigore ab initio ad finem perdurant, unde ὁμότονοι καὶ ἀκμαστικοὶ dicuntur:*

cuntur: vel ab initio ſtatim augentur, hinc ἐπακμαστικοὶ nominantur: vel tandem mox ſui decrementum exhibent, hinc παρακμαστικοὶ vocatæ.

27. *Intermittentes illæ ſunt, quæ ab horrore, rigore aut perfrigeratione quadam initium ſumentes, in plenam poſt aliquot horas infebricitationem deſinunt: ſuisq; temporibus, niſi quid impediat, priorem hiſtoriam iterant, donec prorſus abſumptâ materiâ morbifica, penitus intermittant.*

28. *Quodammodò intermittentes ſunt illæ, quæ mediam quaſi naturam inter Synochos & Intermittentes propriè dictas obtinent: intermittentibus tamen magis annumerantur, quod per circuitus moveantur, & quoque ex membrorum diſpoſitionibus, uti ipſæ, originem trahant.*

29. *Continuarum porrò febrium, uti & Synochorum, ſunt ſui cujusq; humores in vaſis majoribus, ut ante dictum, putreſcentes: Synochi quidem ſanguis; cavſi & tertianæ continuæ, bilis alimentaris: quartanæ continuæ, Melancholicus ſuccus. Nam alijs in locis ſi putreſcant humores, & febrem ſic continuam inducant, non ea propria, ſed Symptomatica erit.*

30. *Hujus generis ſunt, Ηπίαλος de ſententiâ Græcorum, quæ inæquali intemperie, frigore ſcilicet vehementiori & calore mitiori infeſtat: ex vitreâ pituitâ oborta: quæ typum ex parte*

Erra-

Erraticarum ſervat: intermittentibus tamen
ferè annumeratur λειπυρία, in quâ interna urun-
tur, externa algent, à viſcerum inflammatione
producta. ἀσώδης ſeu faſtidioſa, à craſſo humore
tunicis ventriculi impacto, ibique inflammato,
prognata: τυφώδης ab Epatis; κρυμώδης, à pul-
monum inflammatione cauſata: quod genus aliæ
plures in Practicis obſervari poſſunt.

31. Eoſdem quoq; humores pro cauſis conti-
nentibus interpolatæ agnoſcunt: ratione tamen
diverſa. In continuis enim, ut ſupra monuimus,
humores in majoribus vaſis putreſcunt: in inter-
polatis, initium putredinis in primâ corporis
regione circa præcordia, ut rectè Fernelius ſta-
tuit, ſumunt: ſed inde mox robore facultatis ex-
pultricis propulſi ad partes exteriores, ibidem
putreſcunt: In orgaſmo autem illo partes ſenſi-
les dum feriunt, variorum Symptomatum cauſæ
exiſtunt.

32. Interdum enim pars hujus ad ventricu-
lum regurgitans, ibidem vomitum excitat: alias
verò ſenſiles & membranoſas partes feriens
materia, ratione diverſitatis ſui, diverſimodè
quoq; agit. Pituita etenim dulcis, cum acrimo-
nia per ſe deſtituatur, in illo motu vellicans par-
tes, & ſic facultatem expultricem ſtimulans, ſuc-
centuriatus externarum hiſce partium dum ac-
currit calor, frigoris ſenſum in exterioribus re-
linquit. Bilis majori percellens partes acrimonia,

majoremque & ſimul celeriorem retractionem caloris efficiens, rigorem cum concuſſione omnium muſculorum inducit. Melancholicus ſuccus, pituita item ſalſa, cùm medio ferè ſe modo habeant, inter enumerata Symptomata medium aliquod, horrorem nempe, efficiunt. Implicitis in humoribus, implicita quoq; hæc eadem eveniunt.

33. Quia v. in omni ſuperfluitatum coacervatione neceſſum eſt, ut vel ibidem hæ gignantur, vel aliunde iſtuc tranſmittantur: illud ut fiat hiſce locis humorum natura non admittit: hoc ergo, neceſſum eſt. In tranſmiſſione illa & partem mandantem, focum febris Medici nominant, adeſſe oportet. Hoc ſenſu inquit Galenus l. 1. ad Glauconem c. 5. Cotidiana febris rarò advenit, quin os ventriculi patiatur: quemadmodum quartana ex malè affecto ſplene generatur: tertiana ex jecore laborante: & l. de Typis c. 4. itemque l. 2. de diff. febr. cap. ult. circuitus febriles (i. febres intermittentes, quarum ſunt circuitus) ex membrorum debilitatibus ortum habent.

Diſpu-

Diſputationum
DE FEBRIBVS HVMORALIBUS POSTERIOR, numero tertia,

quam reſpondentis loco defendebat

BERNHARDVS OLDERMAN Roſtochienſis.

THESIS I.

AD ſigna febrium humoralium antequam accedemus, circuituum atq; typorum rationem habere operæ precium cenſemus. Definitur typus à Galeno lib. de Typis c. 2. ordo intentionum & remiſſionum: Periodus ceu circuitus tempus intentionum & remiſſionum in morbis factum. Ad quæ tria in febribus requiruntur: I. humorum συναθροισμὸς *ſeu præter naturam collectio: II. ejuſdem putreſcentia: III. per partes ſenſiles motus, uti ex ſuperiori diſputatione conſpicuum. Horum namq; ſi vel unum abſit, circuitus fieri, novusq; paroxyſmus excitari nequit.*

2. Typica proinde erit febris, quæ ſtata tempora periodorum ſervat: quorum cauſam, miſſis nunc varijs hac de re occurrentibus apud authores opinionibus, & quantitati & qualitati humorum junctim aſſcribimus. Quantitati quidem

dem, quod ea ſit, etiam in homine ſaño, horum proportio, ut in maſſa ſanguinea poſt ſanguinem major ſit copia pituitæ, quàm bilis, & hujus, quàm melancholiæ: unde & in ægris hanc à natura, quantum poſſibile, ſervari non eſt dubium. Hinc cum pituitæ & ſingulis diebus tanta coacervari poſſit quantitas, quæ novo paroxyſmo ciendo ſufficiat, hanc etiam cotidie exacerbari contingit.

3. Proximam ab hac in naturali conſtitutione bilis copiam habet: unde & hujus ante tertium vix diem paroxyſmo excitando ſufficientem quantitatem accumulari eſt veriſimile. Minima eſt quantitas melancholiæ, quæ proinde & in ſalubri conſtitutione corporis intra quatridui ſpacium ſufficienter acervari vix poterit.

4. Qualitatis par eſt ratio: Pituita enim cum humiditate præcellat, citiſſimè quoque putredine infici poteſt: difficilius bilis: difficilimè melancholia; unde illa cotidianam, iſta tertianam, hæc quartanam ſentiet putredinem.

5. Aliæ, quæ paſſim decantantur ab autoribus paroxyſmorum recurrentium cauſæ, quantum à vero abſint (quo tamen plus uno nequit eſſe) vel ex eo patet, quod ſi bilis, verbi cauſa, in habitu corporis putreſcens, eâdem recurrat copiâ, eâdemque acrimoniâ; ſtatâ diei tertij horâ denuò infeſtabit: ſin auctior acriorve interim evaſerit, anticipabit: ſin tandem languidior

atq;

atq; imminutior, acceſſionem retardabit: quod ſi v. in atram bilem degeneret, alterius & ipſa febris, quartanæ ſcilicet, naturam induet.

6. Implicitarum porrò febrium implicitæ ſunt cauſæ: ſi namq; ab uno fonte ſuperfluitates ſcaturiant, ſimplices producuntur: ſi à pluribus, compoſitæ: ſinceri item humores putreſcentes, exquiſitas gignunt: permixti, nothas: qui, ſi ſtatis naturæ legibus moveantur, ordinatæ vel Typicæ; ſin minus, inordinatæ ſive erraticæ febres exardeſcunt.

7. Ex caloris itaq; præternaturalis præſentia, ut ex ſuperioribus patet, cum febricitantem noſcamus, ſpeciem dignoſcere ad curam neceſſarium. Putridarum ergo διάγνωσις & ab ephemera diſtinctio facilis, vel ex ijs, quod ephemeræ ſemper à cauſis procatarcticis immediatè; putridæ ex ijsdem, ſed intermediâ humorum putredine proveniant. Adhæc, in ephemeris εὐφορία quædam adeſt, & calor ad tactum mitis, quæ in putridis deſiderantur: pulſus item in ephemeris adeſt æqualitas; in putridis inæqualitas: Syſtole namq; velox, diaſtole tarda, quæ tamen ex inæqualitate putredinis ſæpiuſculè turbantur. Vrinæ ephemerarum coctæ, putridarum crudæ &c. Diagnoſis generalis.

8. Ab hecticâ illæ caloris formâ atq; eſſentiâ diſcernuntur. Putridarum namq; calor ad tactum, in prima quoque manus pectori admotione; præcipuè verò augmento & vigore, eſt

mordax: cujus contrarium propè in hecticis obſervatur, in quibus demum poſt aliquam moram caloris acrimonia tactu percipitur.

9. Quin & pulſus hac in parte non poſtremas ſibi vendicat, qui admodum eſt inæqualis: ſic & urinæ, certiſſimi venoſi generis morborum indices, in omnibus putridarum ſpeciebus in principio crudæ & inconcoctæ; in incremento & ſtatu, pro cauſæ continentis diverſitate, de quâ paulò poſt, maximè variæ.

10. Antegreſſa quoque non parum in febrium putridarum cognitionem nos deducunt. Talia ſi apparuerint plethora vel cacochymia, quorum utrorumque ſua ſunt indicia, putridæ ſuſpicionem Medico inferent. Quo referuntur & illa ab Avicennâ enumerata, ab antegreſſis itidem deſumpta: laſſitudo ulceroſa, tarditas motus, pandiculatio, ſomnus turbulentus, vigiliæ, reſpirationis difficultas, hypochondrij & venarum tenſio, dolor capitis pulſans &c.

Specialis. *11. Humores quoque putreſcentes ſuis ſeſe manifeſtant indicijs, quorum præcipua ab antegreſſis & conſequentibus depromuntur. Antegreſſa quidem, temperamentum, ætas, ſexus, anníque tempus manifeſtant. Conſequentia verò in qualitate caloris & motu humoris præcipuè elucent.*

12. Caloris qualitas de mente Galeni l. 2. diff. feb. c. 12. quod à ſanguine vaporoſus, minusque

nusque moleſtus: ex utraque bile, moleſtus, rodenſque & mordax, præcipuè ex flava: à pituitâ vaporoſus & inæqualis, ac ſi per colum quoddam vel cribrum transmitteretur. Motus in eo elucet, quod Phlegma cotidiè, bilis tertio, Melancholia quarto quovis die, ut antea quoque dictum, moveatur.

13. Synocha, quam & ephemeram plurium dierum ſupra vocari diximus, iiſdem ferè, quibus ephemera, ſe prodit notis: attamen manifeſtioribus. Quin & antegreſſa plethora, & ultra 24. horas extenſio illam ab hac facilè ſecernunt. Adeſt quoque faciei rubor, tenſiva artuum laſſitudo, major quàm in ephemera δυσφορία, venæ turgidæ &c. urinæ admodum tinctæ & craſſiores, in quibus citò hypoſtaſis conſpicitur: pulſus magnus, plenus, frequens ac velox. Synochæ ſigna.

14. Altera ſynochæ ſpecies, quam, cum Fernelio, ex bile à cauſâ procatarcticâ efferveſcente induci antea diximus, ſignis propè iiſdem invenitur. Nec enim in pulſu vel urinis ullæ putredinis notæ elucent. Os amareſcit, appetitus proſternitur, ſitis, dolor capitis & vigiliæ urgent.

15. Synochum propriè dictam à febribus continuis diſcriminat, quod continuata ſerie: uti & cauſus, ſuam hiſtoriam ad finem uſque, totalemq; remiſſionem deducat: continuæ v. licet & ipſæ ad infebricitationem non perveniant; certas ta-

men

men per periodos excandeſcentias obtinent. Synochus hæc habet ſigna: calor ad tactum acrior, pulſus magnus, vehemens, celer & frequens, inordinatus: urina craſſa, rubra, turbida, nulloque ſedimento conſpicua.

16. Continuæ porrò ab intermittentibus hiſce diſtinguuntur ſignis: continuarum acceſſus nullo fit prægreſſo vel rigore, vel frigore, horroréve; (niſi id per accidens contingat) ſed mox derepentè calor hominem adoritur: nec ad integram infebricitationem unquam perducuntur: pulſus quinetiam horum intenſior, magisq; varius & inordinatus conſpicitur: ita quoq; magna cum inæqualitate ad ἀκμὴν progrediuntur: quorum ferè omnium contraria in intermittentibus obſervantur.

Biliosarũ ſigna.

17. Cauſi exquiſiti hæc ferè ſunt ſigna: ardor deurens, ſitis inexplebilis, vehemens capitis dolor, linguæ ariditas, ſcabrities, nigredo, vigiliæ continuæ, inquietudo indefeſſa &c. Cui ſi tanta accedat pernicies, ut interiora uri ſentiantur, atq; ſic ad inſtar ventoſæ externarum partium calorem concentrare efficiant, & ita extrema frigeant, hanc Fernelius Leipyriam cenſet appellandam.

18. Tertianæ continuæ eædem penè ſunt notæ, calor tamen minori cum vehementiâ cor affligit, & cætera omnia ſunt mitiora: hoc ſibi ſolum habet peculiare, quod licet ad infebricitationem,

rem, uti & prior, non perveniat; tamen exacerbationem quandam majorem tertio quovis die patiatur. Intermittentes præter priora adhuc mitiora, hæc ſibi propria habent: quod tertio quovis die excandeſcent, rurſumque ad infebricitationem intermittant: accedit inſuper repentè inſigni cum rigore & laſſitudine ulceroſa, aliquando etiam vomitio bilioſa. Dehinc calor brevi accenditur, & in omne corpus diſpergitur, qui & acer, pungens, ſed ſtatim ad tactum denuo miteſcens, ultra 12. horas non exurens: Declinans cum ſudore calido & vaporoſo. Vrinæ croceæ, rubeæ, aut flammeæ, & nonnihil craſſæ. Pulſus vehemens & celer.

19. Quartanæ continuæ licet cauſæ & ſigna ab autoribus proponantur; tamen hanc potius fictam, quàm realem, cum Clariſſimo Ioële cenſemus, qui eam ſibi nunquam, ſeptuagenario licet, viſam aſſerit. Hac igitur miſſa, intermittentis hæc ſunt ſigna: quarto quovis die affligit, ab oſcitatione & pandiculatione incipiens, quæ ſubſequitur horror, dehinc frigus ad ipſa quoque oſſa penetrans, ſtridor dentium: tandem calor, ſitis, vigiliæ &c: quàm in cotidianâ ſæviora, ſed mitiora eadem, quàm in tertianâ. In declinatione ſudores, quàm in cotidianâ copioſiores. Pulſus initio languidus, tardus, rarus, dehinc validioribus crebrioribusq; ictibus feriens, attamen inæqualis. Vrina primis ferè diebus tenuis

Melancholicarum ſigna

nuis, alba & aquoſa, poſt varia & mutabilis.

Pituitoſarum ſigna. *20. Pituitoſarum continuarum & quoq; intermittentium eædem ferè ſunt notæ, ſed quia continuæ cauſa in venis majoribus fontiq; caloris vicinioribus deliteſcit, ut ſupra dictum, vehementius affligit intermittente: adhæc intermittens quoq; infebricitationem aliqualem agnoſcit: tertiò, intermittens acceſſionem habet lentam, extrema corporis refrigerantem, rigore moleſtans quam rariſſimè: quem excipit calor ægrè augeſcens, qui inæqualis, non acer, ſed halituoſus & hebes, qualis ex viridibus lignis incenſis prodire ſolet. Noctu potiſſimum invadit, ad horas uſq; 18. ſe extendens: inappetentia, nauſea, vomitus, alvi dejectiones liquidæ, crudæ, pituitoſæ. Vrinæ primùm albæ, aquoſæ, turbatæ, poſt rubræ, craſſæ, turbidæ redduntur. Pulſus parvus, languidus, ſummiſſus ac rarus in principio; in incremento velocior. Atq; hæc febrium exquiſitarum ſunt ſigna: ſpuriæ v. ſive nothæ, cum mixtos habeant humores, mixta quoq; ex antecedentibus, pro diverſitate & excellentiâ cauſarum, ſigna exhibebunt.*

Signa temporum. *21. Tempora febrium continuarum univerſalia à ſignis concoctionis & cruditatis eluceſcunt: intermittentium v. præter illa etiam paroxyſmorum recurſus: qui ſi in horis anticipent, incrementi; ſi eâdem recurrant horâ, ſtatus: ſi poſtponant, decrementi notam exhibent: ſic & paroxyſmorum particularium excrementa idem*

demon-

demonſtrant: quippe ſi initio paroxyſmi oboriatur vomitus febrim univerſalium ſuorum temporum principium nondum egreſſam arguit: idem in incremento particulari ſi fiat, univerſale itidem incrementum demonſtrat, & ſic de cæteris.

22. Prognoſtica in febribus humoralibus præcipua, vel longitudinem vel brevitatem aut quoq; eventum nobis enunciabunt. Longitudo quidem vel brevitas præcipuè ex ſpecie febris cognoſcitur. Specie quidem, quod ſynocha, item ſynochos, niſi degenerent in alias, ita & cauſus, 4. vel 7. die utplurimum finiantur, præſertim ſi mox initio ſigna concoctionis appareant. Tertiana continua eodem modo ſe habet; ſed viribus mox in initio proſtratis 4. vel 6. die interimit. Intermittens enim exquiſita, ſeptenis ad ſummum circuitibus judicatur, 4. aph. 59. notha diutius extenditur. Quartanæ ſex menſibus ſæpius, nonnunquam tribus, interdum anno vel biennio terminantur. Aeſtivæ tamen quartanæ magna ex parte breves, autumnales & potiſſimum, quæ ad hyemem perveniunt, longæ. 2. aph. 25. Cotidianæ continuæ ultra 20. diem utplurimum extenduntur: intermittentes v. ad 40. uſq; excurrunt. Prognoſis.

23. Euentus qualitatem quod attinet, verum hic ſtatuimus illud Hipp. l. 2. aph. 19. in morbis acutis non omninò certæ ſunt mortis aut ſalutis prædictiones. Plurimum tamen hic poterunt

runt Aphoriſmi primo prognoſticorum ab Hipp: propoſiti, quos hîc enumerare longum foret. Cauſus ob ſui magnitudinem, ſæpius quoq; malignitatem, periculo non caret. In reliquis tantum periculum non adeſt: Febre ardente laboranti rigor ſuperveniens, ſolutio fit. 4. aph. 58. Febres quæ paribus diebus moventur, ſi in imparibus judicentur, & quæ imparibus moventur, in paribus finiantur, malum. Sic criſes die non criticij provenientes, malæ vel imperfectæ. Quibus criſis fit, nox, quæ acceſſionem præcedit, gravis: quæ v. ſubſequitur, levior ferè ſolet exiſtere.

24. *Modus eventus vel per excretionem manifeſtam, vel per abſceſſum contingit. Excretio in acutis locum habet, de quibus Hipp. in libris aphoriſmorum, & Gal. de criſibus & dieb: decret. In diuturnis febribus abſceſſus aut tubercula in articulis fiunt, l. 4. aph. 44. Qui per febres laſſitudinem ſentiunt, ijs ad articulos & juxta axillas potiſſimum abſceſſus fiunt l. 4. aph. 31. Quibus ex morbo convaleſcentibus pars aliqua laborat, eò abſceſſus fiunt. l. 4. aph. 32.*

Curatio. 25. *Curatio, ut in alijs, tribus perficietur inſtrumentis. Diæta, Pharmacia, Chirurgia. Diæta ad humidum declinare debet, quæ tamen pro diverſitate cauſarum, febrium, roboreque ægri varianda. Aër itaq; in genere ſit purus, in putridis ad frigidum & ſiccum, declinans, in cauſo & ter-*

& tertiana continua ad frigidum & humidum vergens, in cotidianis & quartanis leviter contrariâ vi pollens, qui ſi natura non ſit talis, vel arte comparetur.

26. Victus in acutis ſit tenuis, ex præſcripto Hipp. l. 1. aph. prudenter tamen, pro ratione virium moderandus. In aliis cibi ſint εὔχυμοι *citæq; concoctionis, potus pro diverſitate cauſæ varius: vel refrigerans & humectans, vel leviter calefaciens, & modicè deobſtruens: vinum non niſi in pituitoſis offerendum: aſtringentia ſedulò vitentur. Somnus in continuis potius de die, quàm de nocte capiatur. In intermittentibus v. tempore paroxyſmi ſtudiosè ſomnus evitetur: in cotidiana tamen declinante jam eodem, iniri poterit. Affectus animi procul arceantur.*

27. Chirurgicum in acutis præſidium mox accerſendum: pertundenda itaq; vena ſine mora, hepatica dextri brachii, ſanguinisq; aliqua copia emittenda, quo vires ab oppreſſione vindicentur. In tertianâ intermittente, ſi turgidæ ſint venæ, phlebotomia, parciori tamen manu, ineatur. In cotidianâ v. ſimiliter & quartanâ penitus intermittatur.

28. Pharmaciam ex præſcripto Hippocratis inſtituemus. Concoctis itaq; medicemur, non crudis, niſi materia turgeat: & Morbis in acutis rarò, & per initia, medicamento purgante utemur. l. 1. aph. 24. Materia itaq; acutarum ſi

turgeat, mox Cholagogo exhibito eam deturbabimus: ſin minus, concoctioni ejusdem incumbemus.

29. Concoctio hæc cum in repreſſione caloris potiſſimùm conſiſtat, peragetur ſyrupis & aquis ſtillatitijs, huic ſcopo ſatis facientibus; tales ſunt Syr. acetoſitatis citri, de ſucco limonum, de granatis, de nymphæa, de acetoſa, de ribes, de berberis, oxyſaccharum &c. quorum tamen pro diverſitate Symptomatum, delectus eſt habendus: Diluuntur hi cum aquis Endiviæ, Cichorij, portulacæ, acetoſæ, Cucurbitæ, roſarum, violarum, nymphææ, & ſimilibus.

30. Rectiſſimè commixtis horum quibusdam cum Spir. Vitrioli rectificato grata acredo conciliatur. Is enim propter tenuitatem partium non tantùm efficit, ut altiùs vis refrigerantium penetret: ſed etiam acore ſuo putredini reſiſtit ut cum maxime. Hinc quidam aſſerere non dubitârunt, abſque Spiritus Vitrioli ope vix tutam Putridarum febrium curationem iniri poſſe.

31. Concoctionis ſignis dehinc apparentibus materia educatur infuſo Rhabarbari, Myrobalanorum citrinorum, Caſſia extracta, Manna, ſucco roſarum, ſyr. de Cichorio cum Rhabarb. Syr. roſarum ſolutivo, extracto item Rhabarbari, Tincturâ Scammonei, Eſſentiâ Antimonij, quibus tamen poſterioribus cum providentiâ utendum.

Focus

32. *Focus tandem febrilis in priſtinum ſanitatis gradum revocetur Aromatico Roſato Gabrielis, Diarhodone Abbatis, Diatrionſantalon, LactucæHiſpanicæ caulibus conditis, Rad. Cichor. conditis, conſervâ ejusdem, idq; genus aliys, quæ paſſim apud authores occurrunt.*

33. *Obſervandum tamen in tertianâ, ut & reliquis intermittentibus, purgantia non niſi die infebricitationis eſſe exhibenda: eaque in cotidianâ & quartanâ, poſt repetitam digeſtionem, iteranda. Cum enim hi lentorem obtineant, eaque de cauſa ſimul & ſemel educi nequeant, ne illa, quæ relinquuntur, Recidivam efficiant, cautio erit.*

34. *In quartanâ ſimiliter concoctione perquam opus eſt, quæ peragetur felicius decoctis fumariæ, cuſcutæ, thymi, Epithymi, ſcolopendriæ, cort. radic. capparum, fraxini, idq; genus aliys: quibus ſanè non infeliciter adduntur Syr. de polypodio, de fumariâ, de cuſcutâ, byzantinus, aliÿque huc pertinentes: nec prius horum uſus intermittendus, quàm concoctionis ſigna ſe in conſpectum prodant. Quod dum contingit, purgatio non differenda, quæ & infuſo Fol. Senæ, Myrobalanorum Indorum, Diaſenæ, Diacatholicone, Conf. Hamech &c. Extr. item Ellebori, peragi poterit.*

35. *Lienis dehinc habeatur ratio neceſſum, quo nativa huic temperies reſtauretur, ne dennò ſplē-*

dorem ſpirituum vitalium ſuâ fuligine perturbet atque infitiat. Aſſequemur hoc conſ. cochleariæ, fumariæ, anthos, borraginis, bugloſſæ, conditis corticibus, Citri, aurantiorum, ſpecieb. diamargariti & calidi, & frigidi, diambræ, diamoſci dulcis, amarive, quibus omnibus vis quoq; Chyloſeos ventriculi reſtauratur. Obſervandum tamen hic, pro diverſitate humoris vel atrabilarij, vel melancholici, medicamenta enumerata immutanda eſſe.

36. *In cotidianis tandem præparatis humoribus decocto Radice Apij, petroſelini, bruſci, fœniculi, rubiæ, gentianæ, ariſtolochiæ, herbarum Chamædrys, chamæpitys, pulegij, calaminthæ & ſimilium cum Syr. de mentha, de praſſio, de Squilla, Oxymelle ſimplici, ſquillitico &c. convenientibus tandem medicamentis excludantur, cujus generis ſunt, Agaricus, Turbith, Myrobalani Emblici & Bellerici, hermodactyli, Mechoacan, El. Indum, Diaphœnicon, Hiera Logadij, Ext. Mechoacæ &c.*

37. *Confortantibus tandem ventriculus cum corde reſtaurentur, quod perfici poterit, Conſervis abſinthij, menthæ, flor. Anthos, Rad. Enulæ, Zinziberis, calami itidem aromatici, nuce muſcatâ conditis. Spec. quoq; diatrionpipereon, aromatici Caryophyllati & id genus alijs. In eo namq; curationis ſumma conſiſtit, ut ſublatâ jam cauſâ focum febrilem reſtauremus, & ad priſtinam*

nam

nam temperiem revocemus, Empyreumatis febrilis reliquias in ipſo, uti & in corde, extinguendo, & ad nativam temperiem reducendo.

Diſputatio IV.

DE FEBRI HECTICA ET HUIUS DIFFERENTIIS.

Quam defendendam ſuſcipiet

PAVLVS DESIDERIVS Foſsius Hafn.

Thesis I.

PArtium quandoquidem, uti ſimilarium omnium, ſic quoq; & Cordis, triplex eſt ſubſtantia: Solida nempe, humida, & ſpirituoſa: ſolidaq; rurſum triplex; Carnoſa, humorum alimentariorum concretio: primigenia, vi plaſticâ in ipſo utero materno producta, calidi innati humidiq; primigenij ſedes, & tandem Elementaris, hanc rorem alij vocant, cujus ceu glutinis cujusdam beneficio ſolida cohæret ſubſtantia atq; perſiſtit: ita & pro diverſitate harum partium affectarum diverſiſſimæ febrium producuntur differentiæ.

2. Spirituoſa etenim ſi febrim patiatur, Ephemera naſcitur: ſi humoroſa, putridæ ut plurimum fiunt, de quibus in ſuperioribus actum fuit

diſputationibus: Solidæ tandem calore ſi febrili corripiantur, Hectica cauſatur, quâ de nunc agendum.

3. Homonymia vocabuli hic ne cuiquam imponat, vel ut Galenus dicebat lib. 1. Methodi med. cap. 5. cavillationes pariat, obſervandum, dupliciter ſumi illud apud Medicos: latius, pro omni febri difficulter ſolubili, atque hac ratione Schetica, quæ facilè abigitur, contra diſtingvitur: propriè v. eam, quæ ſolidis eſt infeſta partibus, ſignificat. Patet hoc ex Galeno noſtro lib. 1. de diff. febr. cap. 9. dum inquit: Aliæ febrium partes ipſas animalis ſolidas occuparunt: atq; appellant eas hecticas febres, vel quia ſtabiles ſunt ac ſolutu difficiles, quemadmodum habitus; vel quia ipſum corporis habitum occuparunt. Vide Gal. l. 8. Meth. med. c. 1. & l. 3. loc. aff. cap. 2.

Definitio. 4. Nos verò priori hoc loci miſſâ, quam ſic æquivocè tantùm dici conſtat; poſteriorem definimus: Quod ſit calor præternaturalis in ſolidiori cordis ſubſtantiâ primò hærens, bujusque actiones deſtruens.

Differentiæ. 5. Plures hujus apud authores occurrunt differentiæ: alij enim ex mente Galeni lib. 1. diff. feb. cap. 10. duplex hecticarum genus conſtituunt: Unum citra tabem, alterum cum tabe: citra tabem illud eſt, quod Fernelius in effervescentiâ tantum carnoſæ cordis ſubſtantiæ conſtituit, ubi necdum quicquam hujus deperit vel abſumitur:

mitur. Cum tabe, vel cum eadẽ, aut plurima, aut tota depaſcitur: vel tandem cum hiſce abſumptis calor febrilis humidum jam primigenium depopulatur, cujus quidem initium à quibusdam febris μαρασμώδης, ſtatus verò Marcor ſive μαρασμὸς nominatur.

6. Galenus tamen lib 1. de diff. febr. c. 10. inter febrim μαρασμώδην & ipſum μαρασμὸν aliter diſtingvere videtur: μαρασμὸν dum ijs, qui ſine febre, extincto in illis nativo calore: ſicut quoq; & præmaturo qui ſenio cõtabeſcunt, aſſignat: μαρασμώδην verò febrim hecticâ pereuntibus attribuit.

7. Diſtingvi quoque haud incommodè videtur in Primariam & in Secundariam ſeu ex dependentiâ: ut Primaria ſit illa ex ſe ipſâ per cauſas procatarcticas invadens; hanc alij vocant primigeniam, ſimplicem & impermiſtam: Secundaria, quæ & ſuccedanea, in quam Ephemera notha, uti & acuta, vel ardens ſæpiſſimè degenerat: unde & ardentem, & colliquantem hanc appellare conſveverunt. Hiſce ſi lubet, & tertiam adde, quæ tamen propriè Symptomatica exiſtit ex viſceris cujusdam inflammatione minus rectè curatâ, vel etiam dracunculis, introducta.

8. Primaria, quam diximus, iiſdem de cauſis produci ſolet, quibus Ephemeram excitari ſupra monuimus: præcipuè, ut Galenus quoq; noſter monet lib. 1. diff. febr. c. 10. ex mœrore, irâ, laſſitudine magnâ cum exuſtione forti: ſecundaria Cauſæ.

 verò

verò ex Ephemerâ minus dextrè curatâ, ut ſupra quoq; dictum : ex putridis item acutis corpus ſqualidum exagitantibus.

Signa generalia.

9. Simplicium Hecticarum diagnoſis in genere hiſce indicijs acquiritur : procatarcticâ ex cauſâ, eâq; vehementi, ſed mediatè, oritur : caloris adeſt æqualitas, quæ tamen poſt ſumptum cibum aliquamdiu, ut docet Gal. l. 1. diff. feb. c. 12. turbatur, mox verò ad priorem æqualitatem redit : arteriæ, circum jacente carne, tactui majorem, præcipuè in diaſtole, repræſentant calorem. qui in principio quidem mitis, mox tamen acer & mordax.

Signa primi gradus.

10. In ſpecie verò primi gradus hecticam nobis inſinuant, habitus, ætas, regio, tempusq; anni, omnia vel pleraq; ad calidius & ſiccius vergentia, accedens Ephemera notha, quæ & poſt triduum, vel quatriduum eodem in ſtatu, citra augmenti vel decrementi notam procurrit : eò tandem ex conſuetudine deducens ægrum, ut ſemetipſum præ indolentiâ febricitare ignoret. Magna virium adeſt imbecillitas. Pulſus debilis, parvus ac frequens : ingeſto tamen cibo in magnitudinem & velocitatem aliquantiſper increſcens: mox verò priorem hiſtoriam iterans

Signa ſecundi gradus.

11. Alter gradus his ſignis cognoſcitur : cum ſuperiorum ſignorum præſentiâ corpus jam ſenſibiliter contabeſcit & abſumitur : pulſus eſt debilior & minor, quàm in priori, inſuperq; durus & ten-

& tenſus : Urinis pingvedo quædam, telis aranearum haud abſimilis, innatat : interdum puncta oleacea in ſummitate conſpiciuntur. Cutis univerſi, præcipuè frontis, arida & ſqualida cernitur.

12. Μαρασμώδης tandem ſe prodit, cum vel pro- Signa tertij gradus.
greſſu morborum acutorum, vel etiam prius enumeratis jam gradibus, facies illa Hippocratica 1. prognoſt. delineata, vivumq; adeo ſceleton ſuperſtes occurrit : qualeq; à Lucretio l. 6. depingitur :

Compreſſæ nares : naſi primoris acumē
Tenue ; cavati oculi : cava tempora ; frigida pellis :

Urina interdum oleaginea, ſedimento nonnunquam furfuraceo, citra veſicæ tamen affectum, conſpicitur. Crurum tandem adeſt tumor, fluxus ventris & capillorum defluvium, quæ cum adveniunt, mortis præ foribus præſtolantis indicia exiſtunt.

13. Symptomaticæ febris hecticæ, quæ & ex inflammatione viſcerum minus rectè curatâ, & à dracunculis induci ſolet, διαγνωστικὰ, ſuis quæq; locis recenſenda hîc miſſa faciemus.

14. Incipientem ſanare nequaquam difficile, Prognoſtica.
aſſerente Galeno l. 10. meth. med. c. 10. & l. 1. diff. febr. c. 10. Maraſmi verò gradum quæ attigerit, eam ſanare non ſolùm non facilè, ſed etiam impoſſibile. Inter utraſq; medio quæ ſunt loco, & medio modo ſe habent in reſtitutione : majori tamen ex parte curantur. Gal. l. 1. diff. febr. c. 9.

15. *Hectica à 18 ætatis anno ad 35. plerisque ſupervenit, facileq; ad marcorem deveniunt & moriuntur. Ante verò, vel etiam poſt hanc ætatem quos corripit, facilius curantur, aut ſaltem palliativâ curâ vitã diutiuſculè prorogant: præcipuè mulieres, & naturâ ſangvinei vel pituitoſi.*

16. *Hectica in naturâ, ætate & tempore calidis, facilius incenditur, faciliusq; curatur: quàm qui horum nihil affine cum hecticâ habent. Magis namq; hi ipſi in illâ periclitantur, Hipp. l. 2. aph. 34. Sic hectica æſtiva deterior hyemali: & hyemalis deterior æſtiva. Hectica cum phthiſi vel putrida febri, difficilimæ eſt ſanationis.*

Curatio. 17. *Curatio ratione ſuadente, Galeno l. 10. meth. med. c. 7. præſcribente, generatim in refrigeratione & humectatione conſiſtit: quæ quidem diætâ, & pharmaciâ intus & foris, aſſequemur.*

Aër.] 18. *Diæta quidem, aërem naturâ frigidum & humidum, vel arte attemperatum, attrahendo: hoc fine cubiculi pavimentum aquâ fontanâ, vel aliâ refrigerante medicatâ irrorari: cubile item & viciniores ægro parietes, linteo aquâ roſaceâ madido obduci: & humus herbis & floribus refrigerantibus humectantibusq;, ut ſunt fol. pampini, nymphææ, graminis, ſalicis; flor. roſarum, violarum, nymphææ, &c. conſpergi ſolet.*

Cibus. 19. *Cibos exhibere competit εὐχύμους, & primo in gradu, dum vis concoctrix in ventriculo nondum langvida, difficilioris paululum concoctionis:*

pro-

proſtratâ verò hac ipſâ, cum ſucci bonitate faciem quoq; concoctionem ſuſtineant. Illius generis ſunt ſuilla alicujus ætatis, hædina, agnina, teſtudo nemoralis & aquatica, piſces ſaxatiles, præſertim angvillæ, cancri, paſtinaca marina: hujus farinæ habentur caro vitulina, porcilli inpinguati & adhuc lactentes, pulli gallinacei, capones, maximè horum decoctorum ſucci, panatella, teſticuli gallorum, cremor ptiſanæ, vitelli ovorum cum aquâ roſarum & ſaccharo præparati, crura ranarum &c. à ſalitis abſtineatur: pro condimentis ſaccharo, uvis paſſis & Ichtiocollâ utendum. Cibi in parvâ quantitate, & ſæpius exhibeantur.

20. In potu competit decoctum hordei, ptiſana, aquæ deſtillatæ quàm plurimæ: lac item muliebre, aſininum, caprinum, ovillum, vaccinum, quibus ventriculo ne vim inferat, ſacchari aliquid addendum: ſed de his in medicamentis paulò pòſt prolixius. Vinum, ſi virium reſtaurandarum causâ exhibendum, ſit illud Oligophorum, plurimâq; aquâ dilutum. E cereviſiis primas hîc tenent Brunovicenſis, Embecenſis, Serveſtana, Torgenſis; Hamburgenſis quoq; quod plurimum nutriat, nec inconveniens videtur: diligens attamen Medicus his pro diverſitate circumſtantiarum modum præſcribat neceſſum eſt. Potus.

21. Motus corporis, tanq. febri incrementum præbens, fugiatur: quies omnibus modis invitetur: coitus ejusq. Venerei, tanquam peſtis, habeantur. Motus, quies.

Ani-

mi

mi item pathemata, demptâ lætitiâ & gaudio moderato, ad Anticyras relegentur.

Somnus, vigiliæ

22. Vigiliæ aſpernentur: ſomni conciliandi causâ nihil non inceptetur: quò faciet eſus lactucæ & id genus aliorum: aëris item illa ſuperiùs propoſita alteratio: frigidæ quoque ex uno vaſe in aliud iterata effuſio: decubitus item in loco obſcuro & ſubhumido non parùm hîc efficax. Stragulis quoque mundiſſimis & ſæpius immutatis, culcitrâq; non lecto plumis repleto utatur.

23. Excrementa etiam ſingulis diebus deijciantur: quod ſi natura per ſe præſtare retardabit, in primâ menſâ decoctum lubricans, verbi gratiâ, prunorum, malvæ, ſpinachiæ, lactucæ, vel etiam lac ſeroſius exhibeatur. Hac quoque ratione ſi alvus obœdire noluerit, & putridæ metus adſit, ad blandiſſima pharmaca purgantia, caſſiam, mannam, &c. tranſeundum erit.

24. Sin verò ſoluta ſit nimis, in lacte ſilices igniti aliquoties extingvendi, quo abſumto ſero adſtrictoria leniter vis in eo reſtagnet; idq; exhibendum. Cibi quoque Emplaſtica vi præditi hoc ipſum præſtare poterunt.

Pharmacia interna.

25. Pharmacia tota in alterando eſt occupata, ut ſupra monuimus; varijs id medicamentorum formulis, imò etiam lacte, alimento ſcilicet medicamentoſo, perficitur. In lacte tamen cautione hac opus eſt, ne hecticæ putrida ſit conjuncta, abſit dolor capitis & pravorum in ventriculo humo-

morum colluvies: exhibetur parvâ initio quã-tate, unciarum ferè iij. vel iiij. hæc ſenſim quan-tas adaugetur: poſt hujus aſſumptum motus, ſomnus, aliorum item ciborum eſus horâ cir-ter intermitantur.

26. Emulſionum hic magnus eſt uſus, quæ pa-ntur ex amygdalis dulcibus, 4. ſem. frigidis ajoribus, pineis, piſtaceis, cum aqua borraginis, gloſſæ, roſarum, violarum, nymphææ. Capo-s itidem deſtillati: ſic & julepum & ſyrupo-m, borraginis, roſarum, violarum, jujubini, portulaca, abſque tamen aceto, de pomis, de paver e &c. qui aquis convenientibus dilui ſo-nt.

27. Mixturæ quoque, condita, opiata & id nus alia haud infeliciter exhibentur: quæ ex nſ. violarum, roſarum, borraginis, bugloſſæ, nupharis, diamargariti frigidi, diatrionſan-lon, &c. conficiuntur: Panes quinetiam Mar-i cum pulpa carnis caponis & carne cancrorum æparati: nec ſibi poſtremas hîc vendicat Ma-ſt. perlarum, corallorum, oleum roſarum, ex ſe de corde cervi, ex cornu cervino, præcipuè lhuc tenello, deſtillata.

28. Balneorum quoque utilitas hîc non eſt po-rema: de quibus prolixè vide Galen. lib. 10. ſeth. med. aliquot capitibus. Ungventis quoq; o inunctione thoracis, dorſi, lumborum, & re-m regione ſuum relinquimus honorem; hoc dum-

dummodo obſervetur, quia poſt balnea adhibentur, pro conſtipandis poris, humiditas quo iſtorum in corpore hæreat; thoraci tamen adſtringentia minimè inungenda, ne reſpirationis libertas, hic maximè neceſſaria, imminuatur.

Diſputatio V.

DE FEBRIBVS, PESTILENTIALI ET MALIGNA;

Quam tutabatur

IOANNES FRIDA Oſnaburgenſis VVeſtph. Med. Stud.

THESIS I.

C*Um febrium hiſtoriam ferè univerſam ventilaverimus, conſequens eſt, ut omnium funeſtiſſimam, ipſisque Parcis & Morti, quod dicitur ancillantem, explicemus: quod priusquam aggrediamur, operæ nos precium facturos exiſtimamus, æquivocationis diſtinctiones ſi initio præmittamus.*

2. *Diſtinguendum ergo hoc in loco accuratè, inter peſtem & febrem peſtilentialem, itemque hanc & malignam, quæ modo quodam peſtilentialis à quibuſdam non infimæ claſſis Medicis interdum appellatur.*

Peſtis

3. *Peſtis etenim non unum aliquod certum morbi genus ſignificat, ſed veluti generaliſſimum quoddam, omnia ἐπιδήμων morborum genera ſub ſe complectitur: ut patet ex pluribus Hipp. in Epidemijs hiſtorijs: & Gal. l. de cib. bon. & vit. cap. 1. Gal. l. 3. Epid. comm. 3. §. 20. & aliunde.*

4. *Peſtilentialis autem febris, certum morbi genus deſignat, nempe malignam & pravam intemperiem: à peſte & in eo differens, quòd illa hujus incurſum non ſemper præſtoletur, & aliquando huic combinata non ſit, licet hæc peſtis fœtura exſiſtat, & ab eâ indiſſolubiliter dependeat: Febris tandem maligna analogicè peſtilentialis dicta, quod hujus ideam Symptomatum malignitate, ab Hipp. & in Epidem. & 1. prorheticorum 52. enarratorum, præ ſe ferat, nec tamen ſemper ex contagio dependeat.*

5. *Peſtis itaque tam latè, ut modò viſum, cum ſe extendat, eam hîc miſſam faciemus: Febrim autem peſtilentialem definimus, quod ſit calor malignus & putridus, in corde continuò exæſtuans, ut plurimum bubonibus, carbunculis, exanthematibus, ecthymatibusq; ſtipata, nec non contagioſa.* Definitio.

6. *Peſtilens propriè ſic nuncupata, ratione ſubjectorum quibus innixa eſt, diſpeſcitur in Ephemeram, humoralem & hecticam. Maligna verò in humoribus ſemper ſedem fixam habet, unde exæſtuans & deſæviens continuâ febri naturam contaminat.*

Cauſæ. *7. Febris peſtilentialis cauſam agnoſcit συνεκτικὴν, Peſtem ipſam, cujus primigeniæ cauſæ febris ſeſe comitantis antecedentes exſiſtunt.*

8. Tales ſunt vel Naturales & Phyſicæ: vel ſupernaturales & hyperphyſicæ: Quarum hæ immediatè ſummum naturæ architectum authorem agnoſcunt. Ubi etenim nec cauſa in malignis cœleſtium corporum configurationibus offenditur, nec quoque ex inferiorum conditione & ſtatu æſtimari poteſt, numinis vis ponenda eſt. Sic & Hipp. l. 4. de morbis, & l. 1. progn. τὸ θεῖον aſſeruit: ſic etiam hiſtoria ſacra populum Iſraëliticum propter delicta vel propria, vel regum ſuorum aliquoties mulctatum arguit. Vide quoque Hippoc. l. de nat. mulieb. l. de morbo ſacro.

9. Naturales ſunt aër & alimenta. Aër vel ſupernè, vel infernè contaminatur: illud fit dupliciter, primò propter cœleſtium corporum inauſpicatam vel vicinitatem, vel irradiationem: ſecundò propter cometæ alicujus diſparitionem & reſolutionem, cujus elementa in aërem evaneſcentia eum polluunt: idem poſſunt fulgura tetri odoris, & injuriæ ſordidæque temporum conſtitutiones, ut hyems auſtrina & humida, æſtas auſtrina & ſilens, ſine etheſiis.

10. Hoc accidit ubi ab inferioribus, terrâ nempe vel aquis corrupti & fœtidi exhalant vapores, ut ex ſtagnis & lacubus, vel ſpeluncis ter-

ræque cavernis & hiatibus, propter terræ motus, ex cadaveribus, ex cæde hominum in bello inhumatorum, &c.

11. Alimenta corrupta, quatenus humores ad putreſcendum diſponunt, pravosq; ſuccos generant, utramq; febrim producere nata ſunt: diverſimodè tamen ad utramvis ſe habent. In peſtilentiali ut plurimum ſunt cauſæ adjuvantes, in malignâ principales. Nam compertum eſt quam ſæpiſſimè, univerſos exercitus morbo correptos fuiſſe aquæ corruptæ, aut eſculenti ſemiputridi uſu: famem item peſtem inſecutam fuiſſe. Hiſtorias hujus rei tum alibi, tum præcipuè apud Galenum lib. de cib. bon. & vit. c. 1. & in Epidem. qui volet, habere poterit. item Iul. Cæſarem l. 2. de bello civili. Avenzoarem 3. Theiſir. Ioſeph. de bello judaico l. 7. c. 3. l. 4. Reg. c. 6.

12. Hinc illud in proſcenium prodit, à Gal. etiam l. 1. de diff. feb. c. 5. annotatum, quod aër contaminatus ſit Epidemicarum febrium auctor: alimenta verò Sporadarum; interdum tamen & Epidemicarum, cum videlicet malignis contagium accedit. Unde & hoc effulget, quod omnis febris peſtilentialis ſit contagioſa; Maligna verò non ſemper, nec qualibet. Hipp. l. 2. nat. human. §. 5. Gal. 1. vict. acut. §. 9. item l. 3. Epidem. comm. 3. § 20. l. definit. Medic.

13. Imminentium harum febrium ſigna ſunt cauſarum, quas recenſuimus, antegreſſus. In-

ſectorum inſuper, pulicum, cimicum, ranarum, murium, & id genus aliorum animalium ex putredine prodeuntium ſolitò frequentior proventus: ſic & morbilli, variolæ, exanthemata, ecthymata febresq; petechiales vulgò crebriores. Præſentem verò jam indicant contagium ſerpens: mures quinetiam latibula, & aves nidos ſuos deſerentes: eſculenta aëri expoſita juſtò citius putreſcentia; & alia id genus, quæ à Medicis annotantur.

14. *Infectorum verò ſigna non ex uno atque altero ſymptomate, ſed ex plurium concurſu deſumenda ſunt: præcipuè verò ex actionibus tam vitalibus, quàm naturalibus & animalibus læſis. Vitales quidem jacturæ ſuæ notas edunt per pulſus debiles, (interdum tamen ij ſanorum pulſibus haud abſimiles exiſtunt) palpitationem cordis, ſyncopen crebriorem: animales, horrore, oſcitatione, vigilijs, cataphorâ, vertigine, memoriæ defectu, delirio &c. Naturales tandem appetitu proſtrato, ſiti immensâ, cardiogmo, &c. ſeſe produnt.*

15. *Quin & ab excretis ſigna petuntur, quæ quidem & per vomitum & per ſeceſſum varia, plerumq; fœtida, excernuntur: urinis tamen nihil magis varium. Si quantitas etiam mutata, tertium ſymptomatum genus, hiſce ſuccurrit, quæ maximè in facie Hippocraticâ, in linguæ nigritie, in anthracibus & bubonibus conſpicitur: ex*

horum

horum pluribus, rariùs omnibus concurrentibus in tecmarſin peſtis devenitur.

16. *Speciatim in Ephemerâ calor adeſt blandior, ſyncopæ tamen ſatis frequentes. Hæc cùm præcipuum vitæ theſaurum infeſtet, citiſſimam quoque mortem infert; urinis hic nihil fidendum, quippe quod hæ ſanorum urinis ſæpius quam ſimillimæ. Corporibus raris hæc familiarior. Putrida cacochymicis infenſa ſeſe bubonibus & anthracibus ſola conſpiciendam exhibet. Hectica fœtore anhelitus & eo, quod ægri ſe febrire vix ſentiant, deprehenditur, plurimumq; hanc putrida anteceſſit. Gal. l. 3. de præſ. ex pulſibus c. 4. Summa, febrium propriè dictarum ſigna omnia, ſed multò vehementiora & maligniora hîc conſpiciuntur.*

17. *Peſtis ſuâ naturâ morbus malignus & lethalis eſt, in Ephemerâ propriè dictâ vel primo ſtatim die interficiens: in plurium dierum Ephemerâ ſecundo vel tertio die enecans, ut præſens etiam hic annus multis nos exemplis edocuit.*

18. *In humoralibus, ubi excellentis putredinis omnia ſunt plena, ſi frigidum ſudent, vel ſub initium mox exanthemata, phlyctenæ & ſimilia erũpant, ſatis concedunt. Vti quoq; bubonum vel anthracum tarda nimis eruptio, plerumq; lethalis. Si color faciei vividus ad nigrum vel lividum declinarit, malum. Malum item & ſi interiora*

urantur, & rigeant exteriora. Excrementorum proventus cum fœtore calamitoſum quid eſt. Sic & omnium excrementitiorum humorum ſub primis diebus redundantia.

19. *Urina nigra & fœtens, ventriculus cum virium proſtratione inflatus, bubo aut anthrax prodiens, & è veſtigio remeans, lethalia ſunt. Carbunculi item quò cordi viciniores & nigriores, eò peiores.*

20. *Vomitus & dejectiones frequentiores, præcipuè varijs coloribus defædatæ, ſingultus, ſudor frigidus, lingua tremula, faciei & oculorum calor ad lividum vergens, paraphreneſis peſſima.*

21. *Hectica ægrè licet curam admittat, anceps tamen potius, quàm nullum remedij genus attentandum, idq; ſemper cum prognoſi, ne medicamina alijs quæ ſubſidio fuerunt, malorum opprobrijs exponantur.*

22. *In febri malignâ, major quàm in peſte redintegrationis ſpes ſupereſt, licet & eadem admodum ſit infida. Maculæ in hac erumpentes, maximè die non critico, nec apparentibus ſignis concoctionis, à rubedine quo magis ſecedunt, eò ſunt pejores. Copioſæ item & latæ admodum prorumpentes, periculo non vacant.*

Præſervatio. 23. *Ad curationem cùm* προφυλακτικὴ *quoque pertineat, teſtante Gal. lib. 4. de ſanitate tuenda c. 1. & l. 11. Meth. med, c. 2. Hac de priori loco*

ſagen-

agendum: ſiquidem melius & tutius exſiſtat, hunc tam ingratum hoſpitem non admittere, quã latrocinantem jam inviſcera cum periculo eijcere. Hæc cum in remotione cauſarum προκαταρκτικῶν potiſſimùm conſiſtat, duplicem eam facimus: publicam unam, privatam alteram.

24. Publicam, ſi magiſtratus ſuarum quod eſt partium ſatagat, aërem infectum vel ſtruibus lignorum incenſis, vel alijs mediis à putredine vindicando: cadavera putreſcentia terræ mandando: ſpecus & barathra malignum exſpirantia obſtruendo: annonam putridam meliori commutando: aquas ſtagnantes atque putreſcentes rivulis fluminum ſuperinductis reficiendo: infectos à ſanis arcendo, idque genus ſimilia inceptando.

25. Privatam, ſi quivis, parum habens ſuperfluitatum in corpore, in eo ſtatu ſemetipſum, dextro rerum non naturalium uſu conſervet: impurâ verò corporis conſtitutione præditus, hanc ipſam, auxiliantibus medicis, ad puritatem reducere ſummo ſtudio adnitatur. Gal. l. 1. diff. feb. c. 2. & 6.

26. Plethoricâ atque athleticâ corporis conſtitutione qui turgent, hi vel ſecundo aphoriſmo l. 1. Hipp. admoniti, mox illum habitum, phlebotomiâ imminuere attentabunt: cacochymicis autem, convenientibus cuilibet cacochymiæ remedijs hanc ipſam deſtruere, convenientiſſimum

 erit:

erit: quibus verò medijs hoc ipſum perficiatur, & ex ſuperioribus, & etiam ijs quæ in progreſſu morborum particularium proponentur, conſpicuum erit.

Curatio. *27. Curationem propriè dictam Numinis cum auxilio peragemus, Diætâ, pharmaciâ & chirurgiâ, uſitatis pharmaceutices inſtrumentis.*

Diæta. *28. In Diætâ aër ſit nitidus, & à contagij ſeminarijs quantum poteſt expurgatus, quod varijs ſuffumigiorum generibus, quæ paſſim in practicis occurrunt, aſſequemur.*

29. Victus prodeſt tenuis, cibi ſint boni ſucci & facilis concoctionis, quales ſunt aviculæ, demptis paluſtribus, carnes item vitulinæ, agninæ, vervecinæ, &c. hæque aſſæ potius quàm elixæ: quibus inter præparandum aſpergine aceti, vel decocti acetoſæ, ribium, agreſtæ, idq; genus aliorum grata acredo concilietur. Hyeme tamen parciſſimus caryophyllorum, cinnamomi, & id genus aliorum pulvis ſuperaddatur, ijsdemq; aſſulatim inciſis transfigatur. Piſcium, & quidem ſaxatilium uſus ſit rariſſimus, qui & acetoſis, limonibus, hisque ſimilibus alexipharmacis, præparari poterunt.

30. Potus ſit cerevisia Bernoviana, Brunopolitana, Serveſtana, Embecenſis, vel aliæ minimum calefacientes, hæq; omnes defæcatiſſimæ nec admodum recentes. Aeſtuante verò corpore calidisque temporibus hordeum cum Alexipharmacis

macis decoctum, cui poſtmodum ſaporis gratiâ ſyrupus violarum, granatorum, acetoſ. cit. limon. Acet. &c. paucæ quinetiam ſpirit. vitr. guttulæ ſuperaddi poterunt, exhibitum non inutile eſt.

31. *Motus omnes tam corporis, quàm animi vehementiores exulent. Somnus ante ſudoris cum diaphoreticis alexipharmacis provocationem non ineatur.*

32. *Alvus ut indies reſpondeat, ſtudiosè procuretur: quæ ſuâ ſi ſponte id recuſet, vel lubricantibus, prunis Ibericis, paſſulis exacinatis, caſſiâ, Mannâ: vel etiam clyſteribus; aut glandulis ſubdititijs hoc facere cogatur.*

33. *Quia verò contagium hoc vel ſtomacho jejuno, vel eodem repleto hominem invadit: illud ſi fiat, immiſſo ſuppoſitorio & fæcibus alvi ſic deturbatis, mox ad alexipharmaca diaphoretica confugiendum, in quibus vel primas obtinent medicamenta illa, quæ multum formæ, parum materiæ in ſe complectuntur. Talia ex mineralibus ſelectiſſima, aurum diaphoreticum, rubinum ſulphuris, ſulphur vitrioli, lilium Antimonij &c. non tamen ita obvia, hic miſſa facimus. Ex vegetabilibus eſſentiæ ſeu extracta, uti quoque & ſalia quam plurima proſtant, qualia ſunt extractum ſcordij, Angelicæ, cardui benedicti, calendulæ, abſinthij, veronicæ, verbenæ, tanaceti, Scorzoneræ, ſal fraxini,*

abſinthij, cardui benedicti, Angelicæ, Scordij, Scabioſæ, calendulæ, ſimiliaque: ut & olea nonnullorum, quorum unum vel plura, in aqua ſcabioſæ, acetoſæ, ſcordij, cardui benedicti &c. vel etiam aquâ theriacalia diſſoluta propinari poterunt.

34. Poſt cibum ſi faciat, vomitorio blando ventriculus inaniatur, dehinc expulſio veneni diaphoreticis præſcriptis urgeatur: vomitoria talia apud practicos quam plurima occurrunt, quibus tamen palmam præripere videtur ſubſequens. Rec. aq. nucum unc. iij. Succi vel pulv. verbenæ ℨ. j. aut hujus loco extracti vel ſalis ejusdem ℈ j. Theriacæ ℈. ij. eſſentiæ Croci gr. ij. Miſceantur. Hoc etenim & vomitum ciet & poſtmodum quoq; ſudores movet, qualiter & Sulphur Antimonij quoq; agere, compertum fuit.

35. Nec ſemel duntaxat diaphoreticis hiſce uſum fuiſſe ſatis, ſed in Ephemerâ minimum bis exhibenda, quo facto ſudor vel ad horam etiam, ſi vires ferant, provocandus: dehinc vires juſculis alexipharmacis reficiantur, vel etiam emulſionibus ex ſeminibus napi, cardui benedicti, margaritatum magiſterio cum aquis appropriatis confectis, Trochiſcis quoque de ſucco limonum, de acetoſitate citri, de roſis rubeis cum ſpiritu vitrioli tinctis, &c.

36. Quod ſi hæcce diaphoretica vomitu reïjciantur, iteratâ exhibitione opus eſt, uſque dum

ven-

ventriculus vel ſpontè hæc ipſa retineat, vel etjam coactus, quod variè efficitur: malè tamen à quibuſdam ovo ad duritiem cocto, poſt epotum pharmacum ſub mentum gulæ impreſſo. Hoc etenim periculo ſuffocationis non vacat.

37. In humoralibus, Hecticis & Malignis ſingulis diebus bis diaphoretica iterentur: tertio tamen quovis die ſudoris provocatio intermitti poterit, quo vires ab exhauſto jam labaſcentes pleniori quodammodo victu reſtaurentur.

38. Chirurgicum nunc reſtat auxilium, quod & in febribus peſtilentialibus, humoralibus, & quoque in malignis, ſi habitus ſit plethoricus & reliqua conſentiant, mox in principio accerſendum. Secanda itaque vena dextri brachij, eaque ſangvinis quantitas, quæ vires ægri non proſternat extrahenda. In Ephemerâ, Hecticâ & febri quoque malignâ citra plethoram, vel etjam cum hac in 4. etiam die, venam ſecuiſſe certiſſimam necem adfert. Chirurgia.

39. Bubonum quoque curationi chirurgia eſt dicata, quæ pro diverſitate temporum morbi, diverſis quoque peragitur inſtrumentis. Principiò enim dum apparere incipiunt attrahentibus inſiſtendum, inter quæ præcipuè commendantur cucurbitulæ non ſcarificatæ cum multâ flammâ appoſitæ, cataplaſma ex Raphani majoris, Scrophulariæ itidē majoris radicibus cum pauco ſale in cataplaſmatis formam redactis, impoſitum.

Alijs quoq; Ranunculi radice contuſæ, alijs alia, quæ paſſim apud autores leguntur, proſpero cum ſucceſſu in uſum vocata fuerunt. Dehinc emollientium, ut Emplaſtri Diachyli vel de meliloto uſus: aperto bubone & probè jam expurgato vulgatis conſolidantibus percuratur. De anthracibus videantur practici.

Diſputatio VI.

DE DOLORE CAPITIS;

Quam

Exercitij causâ defendendam ſuſcipiebat

IOACHIMUS URSINUS, Pomeranus.

THESIS I.

Telam noſtram à febribus exorſam, in capitis morbis, non ſolùm celebrium Medicorum exemplo; ſed ipſius quoq; naturæ more, cujus miniſtrum & ſequacem Medicum eſſe dicebat Hippocrates, quæ capite prævio nos omnes in lucem prodire voluit, pertexemus.

2. In hoc duplex eſt partium ſeries: Externarum una; altera internarum: externis hoc loco miſſis, internarum affectus diſcutere in præſentiâ intentabimus.

Caput

3. *Caput ergo cùm inſtar ventoſæ, quam cucurbitam appellamus (ut ajebat Hipp. l. 4. de morbis) reliquo ſit ſuperpoſitum corpori, & ſic plurimis, ratione conſenſus, infeſtum reddatur affectionibus: tunc & mole ſuâ, partiumq; temperie ita ſit diſpoſitum, ut & excrementa plurima accumulet, & ſenſile quoque ſit plurimum; fit ut ſæpius & citius reliquis ferè omnibus Microcoſmi partibus afficiatur.*

4. *Ob membranas autem præcipuè, quibus quamplurimis & maximè ſenſibilibus inveſtitur undique cerebrum, dolor excitatur: quem cum Galeno l. 2. de loc. c. 5. l. 2. aphor. 6. l. 1. ſympt. cauſ. c. 6. l. de inæquali intemperie c. 3. l. 12. meth. med. c. 7. definimus triſtem ſenſationem partium nervoſarum in capite, ab intemperie ſubitò irruente, vel à ſolutione continui, vel etiam utriſque introductam.* Definitio.

5. *Plures hujus ſunt differentiæ: quarum quædam à modo generationis depromuntur, ut dicatur alius fieri per* πρωτοπάθειαν *vel* ἰδιοπάθειαν, *primario ſcilicet capitis vitio: alius per* συμπάθειαν, *inferiorum nempè partium inquinamento: ſic à tempore quoque diſtingvitur, dum vel recens eſt atque levis, quem* κεφαλαλγίαν, *Arabes Sodam vocant: Vel inveteratus, difficulterque ſolubilis,* κεφαλαίαν *Gal. l. 3. de loc. aff. c. 9. & l. 2.* κατὰ τόπους *c. 2. §. 1. Arabum ſequaces Ovum Nucem vel Galeam nominant. Nec minus à parte* Diviſio.

affectâ

affectâ diſcriminatur, dum vel plures capitis particulæ hinc malè habent, ut in Cephalalgia & Cephalæa; vel una medietas, in ἡμικρανίᾳ; vel quadrans afficitur, μονοπληγίαν dicunt quidam; vel tandem unam perquam exiguam vehementer affligit partē; hinc clavum indigitant.

6. A doloris quinetiam proprietate non contemnendæ in praxi deſumuntur differentiæ, quales alij plures ex Avicennâ cæteriſq; Arabibus, quindecim nempe, dinumerant, quas tamen ſat commodè ad quatuor à Galeno l. 2. loc. aff. c. 7. propoſitas, pungentem nempè, gravantem, tendentem & pulſantem, reducere poſſumus.

Cauſæ. *7. Cauſæ doloris ſunt vel intemperies inæqualis, eaque aut ſolitaria, aut materiâ quâpiam comitatâ: vel unitatis diſcontinuatio. Intemperiem inferunt omnia illa, quæ à Galeno I. de morbis cauſ. c. 2. & ſubſequentibus aliquot, ſunt propoſita: & alibi à Galeno ad quatuor ſumma capita, aſſumenda, evacuanda, adhibenda & agenda, bellè redacta: de quibus alibi prolixiùs diſſeremus.*

8. Copulatæ huic materiæ cauſam præbet virtutis concoctricis & expultricis langvor, unde in capite copioſiùs accumulatur: vel etiam fluxione quâdam horſum demandatur.

9. Unitatem verò dirimentia genere quatuor occurrunt: 1. Incidentia. 2. Erodentia. 3. frangentia ſeu contundentia. 4. diſtendentia ſeu

diſrum-

liſrumpentia. Quarum una vel pluribus ſuffici-nter occurrentibus, effectus introducetur.

10. Calidæ intemperiei ſigna ſunt, dolor inten-iſſimus, haud quidquam intermittens, totum uidem caput; ſed maximè frontem cum oculo-um radicibus exagitans: frigidis juvamen ad-ertur. Hæc cum materiâ ſi fuerit, rubedo faci-i & oculorum adeſt intenſior, venarum & ar-eriarum temporalium ad viſum ſæpius evidens nicatio: pulſus magnus, urina rubea, craſſa: & ſi quam exacerbationem agnoſcit, horis ma-utinis hæc ipſa admodum moleſta. Signa.

11. Frigida intemperies dolore paulò mitiori, quàm prior, exagitat: occiput præcipuè malè habens: calida cum alleviatione in uſum vocan-ur, tactu quinetiam frigiditas animadvertitur. Materia huic ſi copulata, gravedo & ſomnolen-ia de die adſunt; de nocte dolor inſomnes ferè eddit; facies cum palliditate ſubtumida: pulſus xiguus & langvidus: Urina ſæpiſſimè cruda, d albedinem à nativo colore declinans.

12. Sicca, dolore minus, quàm antecedens, a-erba: ni tanta evaſerit, ut partes corrugando andem dilaceret; faciei muſculis, & ipſis oculis ollabentibus, cum oculorum & narium ſiccita-e, vigiliiſq; conſpicua. Humiditas ſola dolorem ion infert; ſed activæ cuipiam qualitati alteri onſociata.

13. Calidæ tandem & ſiccæ tecmarſis e caloris

ad ta-

ad tactum doloriſque acrimoniâ, præcipuè in latere dextro, & vigilijs ſe prodit. Pulſus adeſt magnus & frequens: Urina interdum tenuis & flammea: interdum alba nec quicquam colorata.

14. Frigidæ & ſiccæ intemperiei ſigna ſunt cum cauſis primitivis frigus & ſiccitas ad tactũ quoque conſpicua: dolor magis in ſiniſtris, quàm alijs capitis partibus, iſque priori multò minor: horis veſperarum præcipuè urgens, inſomnia turbulenta, pulſus langvidus, Urinæ crudæ et tenues.

15. Flatulentam materiam dolor ſi habeat cauſam, is erit tenſivus, tinnitu aurium plurimùm comitatus: urinæ copioſis in ſuperficie bullis repletæ: quorum pleraque, cum alijs item huc pertinentibus videantur apud Gal. l. 1. ad Glauconem cap. ultimo.

16. Primarium arguunt affectum dolor haud multum intermittens; ſed verè continuus: conſenſu verò introductus aliarum partium, ſuas interdum exacerbationes habet: à ventriculo etenim ſi fiat συμπάθεια, poſt cibum plurimùm augetur: ab alijs communicatus capiti partibus, harum ipſarum læſiones habuit antecedentes manifeſtas.

17. Sic dolor in ſuperficie, & ad tactum ingraveſcens, ut quoque capilli dolere ægrotis videantur, ad palpebras itidem continuatus, partium eſſe extra calvam conſtitutarum: pungens

& ad

& ad tactum miteſcens, perioſtij: profundus verò radicibusque oculorum communicatus, meningum, adeoque internarum partium affectum demonſtrat: in quibus ſi inflammatio vel putredo humorum ſimul adfuerit, febrim quoque ſibi ſociam unà conjunctam agnoſcit.

18. Dolor capitis inveteratus difficilis eſt ſanationis. A calore vehementiſſimi ſunt dolores, ſed breviores; à frigore minus vehementes, ſed diuturniores. Quicunque ſani repentè capitis dolore capiuntur, & ſtatim obmuteſcunt atq: ſtertunt: in 7. diebus pereunt, niſi febris eos apprehenderit. 6. aphor. 51. Caput dolenti & circumdolenti pus vel aqua, vel ſangvis per nares aut os, auresve effluens, morbum ſolvit. 6. aphor. 10. Quibus febricitantibus urinæ ſunt perturbatæ, quales ſunt jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit. 4. aphor. 70. Quibus ex dolore aphoniæ, hi cum dolore miſerâ morte pereunt. Hipp. 1. Prorrh. comm. 2. tex. 20. niſi cum ſudore febris & dolor ſolvatur. Hipp. 1. Prorrhet. comm. 3. t. 2. In morbis acutis natura jam excretionem per vomitum vel hæmorrhagiam moliente, dolor capitis inſeparabile hujus eſt indicium: hîc medicamenta non adhibenda, ſed curatio naturæ committenda. Gal. l. 1. ad Glaucon. c. 15. Capitis dolor vehemens & continuus cum febre, ſi quod ex indiciis adfuerit exitioſis, letalis admodum eſt, &c. Hipp. 3. prognoſt. aph. 11. Prognoſtica.

Cum

Curatio. *19. Cum omnis dolor capitis metu non careat, in curatione ſedulò ſtudendum, ut citò, tutò, & jucundè: præcepto Galeni l. 2.* κατὰ τόπους *Cap. 1. §. 1. Quicunque citra diſtinctionem indiſcriminatimq; doloribus capitis auxilia adhibent, majus ſæpius detrimentum, quàm emolumentum adferunt: ad circumſpectiùs medendum admoniti; hanc ipſam peragamus.*

20. Fiet hoc, ſi an totius vitio, an alterius unius particulæ contamine, an v. primario laboret affectu, perpendamus: hoc namque ſi eveniat, huic ſoli proſpiciendum, quod quidem Galenus lib. 1. ad Glauconem c. 15. duobus præcipuè peragit: corpus per univerſum in contrarium revellendo, & ipſi parti remedia adhibendo. Iſtud ſi contingat, partis habenda potiſſimùm eſt ratio: illud tandem ſi accidat, capite poſthabito totius primùm reſtauratio eſt molienda.

21. Perficitur hoc diæta, pharmacia, chirurgia. Generatim quidem in omni dolore capitis Aër eligendus nec nimium calidus, nec immodicè frigidus: pro diverſitate tum cauſarum ad alterutrum declinans. Cibi concoctu ſint faciles, potiusque ſint ſorbiles, quàm duri: quorum parcitas admodum commendatur. In quibus, uti & aromata, vaporoſa omnia ſedulò vitanda. Soni & ſtrepitus nimij ſemper fugiendi. A ſomno, præſertim pomeridiano, nimijs item vigilijs, à Venere abſtinendum. Quieti corporis & animi maxi-

maximè ſtudendum. Alvus ſemper reſpondeat, ne hac obſtipatâ tetri vapores arcem humanam impetant: quorſum uſus ciborum lubricantium, peſſulorum & enematum plurimum facit.

22. *Nudis & ſolis intemperiebus hæc cuncta qualitate contrariantia ſunt opponenda: quod quidem vel verâ methodo, cauſam doloris proximam adimente; vel ſpuriâ, quam palliativam vocant, narcoticis ſenſum adimendo perficitur, de quibus in progreſſu.*

23. *Dolori capitis à ſangvine competunt cibi refrigerantes & exſiccantes, minimumq; nutrientes: in quo ſubductâ alvo, venæ ſectionem præſenti eſſe remedio compertum eſt: quæ ſi primò non ſatis perficiat, iteranda: vel hæmorrhagia narium provocanda.*

24. *Topica poſtmodum, Epithemata nempe, fomenta, embrocationes, cucuphæ, ſplenia, ungventáve applicentur; quæ in principio repellentia, dehinc diſcutientia, tandem robur afflantia ſunto: quorum omnium materiam apud Practicos copioſam videre licet.*

25. *Bilis ſi dolorem inferat, motâ alvo, ſangvineq;, aſt parciori manu, quàm in priori, extracto: Cholagogis perficiatur, in quibus tamen à Caſſiâ & Mannâ, quantumvis Hollerius, & alij hac utantur, abſtinendum. Quin & in potionibus Syruporum uſus parcius ineundus. Diæta ſit refrigerans & humectans. Topica quoq; ſimilia*

 priori-

prioribus, attamen valentiora, ſummoperè conducunt.

26. Pituita ſi in vitio ſit, injecto priùs clyſtere eoq́; ſatis acri, poſt eductionem præparata, convenientibus phlegmagogis educatur; hiera tamen ſi uti voluerimus, monente Hollerio, Croci ſit pondus in eâ imminutum. Nec ſemel hîc purgaſſe ſufficiet: ſed repetitis digeſtionibus, iteratisq; purgationibus opus eſt.

27. Hic notandum, aquis ſtillatitiis ſi uti voluerimus, haud aſſumendas eas, quæ vulgò in pharmacopoliis proſtant, cum harum pleræq; nil niſi phlegma & excrementitium herbarum ſuccum obtineant, & humido primigenio careant: ideoq́; viribus quoq; deſtitutæ reperiantur: ſed Alembicatio cum ſiccis inſtrumento convenienti infuſis peragenda, poſtmodumq́; bono cum ægrorum, in uſum trahenda.

28. Pro abſumendis phlegmatis reliquiis ſequentia, uti rara, ſummoperè obſerventur: Olea Chymico artificio, itemq; extracta ex Roremarino, Lavendulâ, Majoranâ, Cinamomo, Caryophyllis, Succino (quod tamen non omnibus competit) præparata: quorum tamen uſus debitam ante expurgationem non adcerſendus.

29. Naribus quoq;, temporibus & nuchæ Balſami quorundam Chymicè præparati, ut ſunt Caryophyllorum, Majoranæ, Lavendulæ, Stœchadis

chadis Arabicæ, &c. magno cum ſucceſſu inun-guntur.

30. *Melancholicus humor, inſtructis ex re ægri, rebus non naturalibus, convenientibus & præparantibus & purgantibus, iteratis tamen, quod humor in obſequio ſit contumax, expugnetur: Suumq; dehinc robur, medicamentis debitis, alibi enumerandis, capiti reſtauretur.*

31. *Flatus ſi infeſtent, injecto prius clyſtere, digerentibus & pituitam educentibus præmiſſis, tandem & internis, & externis medicamentis diſcutiantur. Intus plurimum poſſe Ol. aniſi. Cymini, Carvi, corticum aurantiorum, gran. juniperi &c. experientiâ compertum eſt.*

32. *Solutio continui dolorem ſi inferat, hæc ipſa Chirurgico auxilio ad unionem reducatur: quod ut rectè fiat magnâ hîc cautione opus eſt, cum & vulnera capitis minutiſſima, neglectu fieri lethalia, experientiâ comprobatum ſit.*

33. *Palliativam quandoq; ſi curam dolorū vehementia efflagitet; anodynis primùm, dehinc Narcoticis intus & foris molienda eſt. Intus quidem tutiſſimè, nunquam ſatis laudato illo Laudano Opiato, è quo vis hyoſcyami Mortæ ſacri, exulet: Sulphure Vitrioli & aliis id genus exhibitis, poſt quorum uſum Narcoſis in ſenſibus reſidua nulla reſtagnat. Quibus deficientibus ad Opiata Officinarum, minus tutô tamen, confugiendum.*

34. *Foris autem Topicis ex Ol. Hyoſcyami, papaveris, mandragoræ; decocto eorundem; quibus tamen cum Anodynis decoctis, Lacte muliebri tepido, Ol. Anethino, Chamæmelino &c. præcipuè v. Ol. millepedum aliqua acceſſerit correctio: cautione adhibitâ, cervici & occipiti ne talia admoveantur. Huc pertinent Ung. de Alabaſtro, populeum, Ol. lumbricorum terreſtrium, &c.*

Diſputatio VII.

DE APOPLEXIA ET EPILEPSIA;

Quam

tutabatur

IOANNES GONIAEVS Roſtochienſis.

Nonis Ianuarij, Anno 1603.

THESIS I.

Cephalicarum in numero affectionum non poſtremæ claſsis exiſtunt, Apoplexia, & Epilepſia, quæ & Symptomatum vehementiâ, & proventus ſui frequentiâ, quam plurimis ſunt formidabiles: de quibus in præſentiâ agere conſtituimus.

2. *Apoplexiam* ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν *denominatam volunt, quod ex gravi velut percuſſu, repen-*

tino

tino caſu afficiat. Attonitum hunc morbum Celſus vocat l. 3. c. 27. atq; ſiderationem, nonnulli perculſionem, paralyſin univerſalem &c. indigitarunt. Avenz. ſilentium appellavit.

3. Definimus eam ex mente Gal. 2. ſympt. cauſ. c. ult. de ſympt. diff. c. 3. & 4. de loc. aff. c. 2. ſubitaneam functionum animalis facultatis interceptionem, ab humore in ventriculos cerebri, bujusve poroſitates, aut ſaltem carotides irruente. Definitio Apop.

4. Epilepſiæ nomen ab ἐπιλαμβάνω *deductum volunt, quód mentem derepentè apprehendat. Varia huic Antiquitas indidit nomina, dum modo Divinum, Sacrum,* νόσον μεγάλην*, Hipp. l. 6. Epidem. ſect. 1. §. 5.* παιδικὸν*, Gellius Sonticum. Ariſt. probl. 1. ſect. 30. & Gal. comm. 6. Epid. 6. §. 7. Herculeum; modò comitialem, Caducum, Lunaticum &c. cognominavit.*

5. Hanc de ſententiâ Gal. l. 3. loc. aff. 7. lib. 4. ejusd. c. 2. Sympt. diff. 3. & 6. Aphor. 87. in documento pro puero Epileptico, & alibi paſſim, aſſerimus motum cerebri eſſe convulſivum, interpolatum ab humore vaporéve acri, ſæpius maligno, facultatem cerebri expultricem irritante, productum. Definitio Epil.

6. Apoplexiæ varias authores conſtituunt differentias: Aliam n. fortem, quæ primo mox die interimit: aliam mitem indigetant, ulteriorem quæ moram facit. Hipp. 2. Aphor. 42. Alia Differ. Apop.

eſt ob impeditam ſpirituum animalium emiſſionem, quam propriam dicunt: alia ob ſpirituum vitalium ad cerebrum aditum interceptum, ὑπόληψιν Hollerius, quidam Impropriam hanc dictitant: Plethoricam commodè etiam unam, aliam Cacochymicam appellare poſſemus.

Differ. Epil. 7. Sic & Epilepſiæ apud anthores variæ occurrunt differ. concinna tamen præ cæteris, & praxi convenientior hæc videtur; ut alia ſit primario cerebri adfectu, quam Epilepſiam propriiſſimè vocamus: alia ex ſympathiâ viſcerum, hanc Ἀναλη̃ψίαν dicimus: alia tandem ex aurâ quâpiam malignâ, ab artubus ſcaturiente, quam καταλη̃ψίαν appellandam cenſent.

Cauſſæ procat. Apop. 8. Cauſſas Apoplexiæ tum procatarcticas, tùm προηγουμένας agnoſcit varias: quarum è προκαταρκτικω̃ν cenſu, ſunt præcipuè: aër valdè intemperatus; inprimis verò ad Auſtralem, vel Borealem ſtatum declinans. Carbonum item, cereviſiarumque recentium, in loco minus perſpirabili, concluſarum, uti & domiciliorum recens calce dealbatorum fœtor; prava quin etiam victus ratio, ingluvies, crapula, otium, Venus immodica, medicamentorum narcoticorum uſus, ſomnus pomeridianus, lucubrationes præpoſteræ, evacuationum cerebri antea con-

ſueta-

ſuetarum ſuppreſſio, caſus, ictus, & quæ ſunt hujus farinæ alia.

9. Προηγουμένων rationem habent cuncti ferè humores, vel in cerebro primario hujus vitio congeſti, vel eodem aliunde attracti, aut transmiſſi. Bilioſos tamen niſi quis eos vehiculi inſtar, reliquos ad cerebrum perducentis ſe habere autumet, ex horum numero excludendos cenſemus. In reliquis contra Fernelium ſolam pituitam, & Cardanum, unum melancholicum humorem, admittentes, de ſententiâ quoque Gal. & cum illis ſanguinem, Apoplexiæ authorem poſſe exiſtere aſſeveramus. προηγ.

10. Nec minus Epilepſia quoq; in cauſſis variat: ſiquidem & aër & cibus potusq;, excreta & retenta, ſomnus ſub Lunæ radiis, cæteraq; id genus res non naturales à modo abeuntes, capitisq; robur deſtruentes, hanc excitare poſſunt. Præcipuum tamen hic ſibi jus arrogat hæreditas paterna, non minus morborum quàm divitiarum, in ſobolem propagatrix. Cauſſæ proc. Epil.

11. Internis accenſentur humor vaporve acris, interdum malignus cerebri facultatem expultricem admodum ſtimulans, nervorumq; principia vellicans. Προηγ.

12. Signorum tàm Apoplexiæ, quàm Epilepſiæ, alia ſunt prognoſtica, alia Diagnoſtica: hæcq; vel imminentem alterutram, vel jam præſentem arguunt.

13. *Imminentem Apoplexiam digito quaſi intento demonſtrant, ætas à quadrageſimo ad 60. annum, vertigo, dolor capitis, oculorum ſplendores, totius corporis, ſæpius tamen extremarum partium frigus, ſomnolentia, dentium in ſomnis ſtridor, gravitas, pigrities, jugularium venarum elatio, urinæ nonnunquam æruginoſæ vel nigræ.*

Signa Diagnoſt. Apop.

Epil.

14. *Iiſdem quoq; ferè prodromis Epilepſia accurrit, quibus tamen vel maximè, præcipuè in primariâ nobis dictâ, jus hæreditarium ſuppetias adfert: alterius, per conſenſum quæ gignitur, ſua cujusvis particulæ adfectæ præcedunt ſymptomata.*

15. *Præſens Apoplexia ſenſus & motus voluntarij abolitione, difficillimâq; reſpiratione ſe prodit; quæ quanto fuerit liberior, hoc minus periculoſam eandem inſinuat. Epilepſia peſſimis ſymptomatibus dignoſcitur: Subito, attonitorum inſtar, in terram prolapſu, motu ſenſuq; depravato, pollicum manuum arctiſſimâ compreſſione & digitorum incurvatione, interdum mugitu boatuve, dentium colliſione, ſpuma, oculorum perverſione, fæcum alvi, urinæ, ſeminisq; involuntariâ emiſſione: quod tamen poſtremum, uti rarius, ita peſſimum quoq; ſignum à practicis annotatur.*

16. *Cauſſarum ſigna in utrâq; ex habitu vel plethorico, vel cacochymico, ætate item, anni tempore, conſtitutione aëris, cæterisq; id genus*

alijs

alijs ſingulorum humorum dominia detegentibus, aſſequimur. In Epilepſiâ verò ſpecialiter pituitæ abundantiam denotat, ſpuma ad os copioſior, eaq; magis albicans. Bilis exceſſum, eadem minori quantitate & ſubtilior, croceaque: Melancholiæ abundantiam, hæc ipſa livido colore conſpicua.

17. *Ad prognoſtica, complures aphoriſmi Hippocratici referri ſolent, quorum ſaltem præcipuos hos obſervabimus. Solvere fortem Apoplexiam impoſſibile; levem verò non facilè. l. 2. aphor. 42. Sic & ea lethalis cenſetur, cui ſudor ſupervenit, & in qua ſpumâ copioſa conſpicitur. 2. aphor. 43. Ex levi qui reſtituuntur, vel hemiplectici, vel paralytici evadunt, vel ſaltem memoriæ jacturam faciunt. Sternutatorium itidem forte applicatum, ſi ſternutamentum non moveat, lethale.* Prognoſt.

18. *Epilepſia primaria periculoſior eâ, quæ per conſenſum, ſic & quæ natali connaſcitur, itemque inveterata, rariſſimè curatur, & noctu quæ movetur minus nocet, quàm quæ interdiu. Infantulos ac pueros crebrò, conſiſtentis ætatis rariùs, ſenes nunquam aut rariſſimè contigit Epilepſiâ corripi, frequentiùs autem Apoplexiâ. Quibuscunque morbus Comitialis fit ante pubertatem, per ætatum mutationes liberantur: quibus autem poſt 25. annum durat, difficilimè curantur, & ut plurimùm commoriuntur. Hipp. 5. aph.*

 7. Me-

7. *Melancholici magnâ ex parte fiunt Epileptici, & contra, 6. Epid. 1. Quicunq; per auram ab extremis artubus erumpentem Epilepſiam patiuntur, ſi vinculis arctioribus ligentur, vel nullam, vel perquam exiguam patiuntur. Gal. de puero Epilept.*

Curatio. 19. *Curationem Apoplexiæ præſentis, & imminentis præſervationem, cùm iiſdem ferè præſidiis abſolvantur, conjunctim hîc preponemus, hoc ubi admonuerimus, præſentem jam fortiora, ratione magnitudinis, indicare auxilia curativa, quàm adhuc imminentem. Diætam pro diverſitate vel plethoræ, vel cacochymiæ præſcribere oportet, prout in ſuperiori diſputatione, de dolore capitis indicatum fuit, ideoque eam hîc miſſam facimus.*

20. *Subducta itaq; mox in principio alvo, per glandem ſuppoſititiam, attamen ſale gemmæ, muſcerdâ, & id genus aliis acutiorem redditam, vel etiam clyſtere uſitatis acriori, mox venæ ſectio, præſentiſſimum plethoricæ Apoplexiæ præſidium, accerſenda, quæ tamen ut eò feliciùs ſuccedat, ſangvinis congelatio in venis eſt demolienda: quod fiet unctionibus, frictionibus, & fomentis calidis, attenuantibusque ſubſidiis ritè adhibitis. Dehinc Vena vel Cephalica, vel hepatica, lateris dextri, attamen circumſtantiarum ſedulâ ratione habitâ, ampliore vulnere incidenda. Sangvinis tamen extractio non ſit nimia,*

mia, ne ſpiritus antea ab oppreſſo laborantes, nunc penitus exhauriantur. Sin neceſſitas flagitet, oppoſiti lateris phlebotomia, horis aliquot elapſis, ineatur.

21. *Jugularibus autem Venis plurimùm licet hic tribuant practici, neq; id immeritò: quia tamen minùs tutò aperiri videntur, ne nos opprobrijs calumniantium exponamus, intermitti haſce rectius cenſemus.*

22. *Hæc dum aguntur, & alia revulſionum auxilia non intermittantur: Talia ſunt extremarum ligationes dolorificæ, frictiones aſperæ, cucurbitularum cum ſcarificatu applicationes, quæ tamen non fiant more vulgi, in hypochondrijs, ſed potius in natibus, propterea, quod cum reſpiratio admodum ſit difficilis jam antea, per hypochondriorum, quo loci muſculorum abdominis rectorum eſt poſitus, tenſionem, magis ea ipſa lædatur.*

23. *His omnibus, vel pluribus jam peractis ad derivationum media accedendum: Inter quæ & illa Holleriana, hominem agitato, concutito, fricato, non improbamus. Præcipuè verò materia peccans ad emunctoria cerebri conſveta detrahatur: ad palatum quidem inunctionibus cum theriacâ, mihtridatio, Anac. confect. Caſtor. extracto, balſ. Caryoph. &c. peractis: Sternutationibus item, pulveribus, liquoribus, ol. ſtillat. alijsq; id genus excitatis.*

Intus.

24. *Intus, ſi deglutitio jam redeat, validius purgantibus, cuivis humorum appropriatis, materia peccans infernè deturbetur: quo peracto, Antapoplecticis tandem expugnetur: qualia ſunt: Aqua Card. Benedict. ſingulare hoc in caſu, Lavend. lilior. convall. decoctum Sarſæ par. pro divino auxilio Antapoplectico in Scholzianis Epiſt. Epiſt. 8. commendatum. Aqua vitæ Langij, Aq. Cephal. Aqua vitæ Palatini apud Solenandrum pag. 259. in quarum unâ vel pluribus diſſolvantur, extr. Salv. pro ſecreto chymicis habitum, ol. ejusdem, Item Lavend. Spicæ, &c. quorum vel guttula una & naribus inſtillari poterit. Magis hiſce proderunt, ſpiritus & ol. vitrioli, q. e. ☉, corallorum, balſamus Sulph. Summum in Apoplexiâ tandem arcanum ſolutio perlarum & ol. ☽.*

25. *Epilepſiæ Curatio, duabus præcipuè indicationibus dirigitur; paroxyſmi nempe remotione; & novi inhibitione. Removetur is facilius, ſi mox cadenti Epileptico os cuneo inſerto, apertum retineatur, voce ſonorâ inclametur, partes incurvatæ, quantum poteſt, ad rectitudinem deducantur, nares ptarmicis inditis conſtringantur, digiti intorqueantur, partiumque extremarum ligaturæ fortes adhibeantur. Palatum theriacâ, mithrid. & cæteris theſi 24. enumeratis in aq. rutæ, hirund. ſimilivé diſſolutis, confricetur.*

Obſer-

26. *Obſervandum tamen à rutâ, maximè ſylveſtri, puleg. apio, petroſel. ſuccino, Caſtor. Aſa fœtid. horumque omnium prole, extra paroxyſmum ſedulò abſtinendum, ſiquidem illa hunc quàm maximè accelerant.*

27. *Novi inhibitio in cauſarum ablatione conſiſtit. Primaria ergo capite percurato removetur. Præmiſſis itaque univerſalibus, mox particularia Antepileptica, qualia & theſi 24. ſunt enumerata, & hæc quoque ſequentia exhiberi poterunt, Epar vulpis maris pro viris, & fœminæ pro fœmina, cor ciconiæ vel lupinum, raſura ungulæ vel dentis majoris lupi, ung. alcis, viſc. querc. pulveres varij Antepileptici: inter alios ab Horat. Augen. lib. 8. Epiſt. 2. cum Elect. itidem eodem in loco deſcripto. Tinctura Corall. perlar. Eſſentia pœon. vitriolata, &c. quæ ſuprà fuere propoſita. Quorum aliqua in aquâ theriacali vel aq. panis albiſſ. deſtill. aq. hirund. tiliæ, hyſſ. Card. bened. millefol. Syr. de hyſſ. de pœon. de ſtœch. quibus tandem guttula una atque altera ol. ex craneo humano acceſſerit, diſſolvantur: vel aliæ medicamentorum formæ, pro libitu Medici, additione Sacch. vel conſervarum, hiſce conſtentur.*

28. *Quibus ſi non ſuccedat curatio ex præſcripto Hipp. libro octavo, aphor. 8. ad ferrum & ignem accedendum, quo pertinent, Cauteria, Veſicatoria, Trepanus &c.*

Diſpu-

Diſputatio VIII.

DE CATARRHO ET EX EO DESCENDENTIBUS ODONTALGIA, Epiphorâ & Odalgiâ.

Cuius poſitiones
Defendendas ſuſcipiebat

MATTHÆUS BACMEISTERUS
Roſtochienſis.

Thesis I.

Excretorum è cerebri vitijs vel primas ſibi Catarrhus vendicat, quem Lernam malorum in corpore humano haud incommodè quis dixerit, quo de in præſentia agendum erit.

2. Varia huic à medicorum ſcholis impoſita ſunt nomina: alijs quibusdam ſpeciei nomina generi attribuentibus; καθάῤῥουν ἢ καθάῤῥοον *(uti & Hipp. l. 3. aph. 12.) alijs* ῥεῦμα *ipſum vocitantibus. Celſus interdum* κατασταγμὸν *l. 4. c. 2. hunc dici aſſeverat. Defluxum alij vel deſtillationem voce Latinâ appellârunt: de quo pulchrè Hipp. lib. de glandulis poſt medium.*

Definitio Catarrhi. *3. Definimus eum excrementitij humoris, ut plurimùm pituitoſi è capite in partes ſubjectas defluxum præternaturalem.*

Differ. *4. Peculiaria is à loco, in quem decumbit, ſibi acquirit nomina: in os ſiquidem pectorisve capacitatem*

citatem ſi decidat, Catarrhus ſpecialiter: ſin ad nares, Coryza; ſi verò ad fauces, Branchus à Galeno l. 3. ſympt. cauſ. c. 4. appellatur: quo reſpicientes ſcholæ Salernitanæ dictum prognatum eſt:

Si fluat ad pectus, dicatur Reuma, Catarrhus;
Ad fauces, Branchus; ad nares, eſto Coryza.

5. In alias itidem quamplurimas influens partes, proprijs nominibus vocatur: Sic in gargareone, ϛαφυλὴ: in dentibus ὀδονταλγία: in oculis ἐπιφορὰ catarrhalis: in auribus ὠταλγία: in alijs aliter denominatur.

6. Quatuor autem in Catarrho, ut in omni alio fluxu, conſideranda veniunt. I. Mobile. II. Terminus à quo, vel pars mandans. III. Terminus ad quem, vel pars recipiens. IV. Via per quam.

7. Mobile hîc eſt materia fluens, craſſa aut tenuis, vel in calvariâ vel extra eandem coacervata: idq; aut per congeſtionem, aut per attractionem, aut etiam ſpontaneum eòdem allapſum.

8. Cerebrum mandantem eſſe partem in confeſſo eſt: recipientem verò pro diverſitate partium laborantium variari itidem conſtat. Decumbit namq; interdum à partibus in craniocon ſtitutis, ad partes quoq; ferè interiores; quod ſæpius hyemali contingere tempore obſervatum eſt: nonnun-

nonnunquam verò à partibus extra cranium, potiſſimùm in vertice ſitis, in partes ſimiliter exteriores; puta ſubcutaneas, aures itidem; oculos, nares, dentes, articulos, ſcapulas &c. quod quidem per æſtum maximè, non tamen perpetuò fieri aſſolet.

9. Viæ ſunt è ventriculis cerebri, præcipuè anterioribus, in Coryza quidem per oſſa Ethmöidea vocata, in nares: in Rheumate & Brancho è pelvi & glande cerebri pituitaria, biantia per & patula palati foramina: in dentes, oculos & aures, aliasque corporis partes, per venas & arterias Carotides exteriores, nonnunquam etiam nervos; imò per cœcos cutis & carneæ membranæ connexorum meatus.

10. Aliæ quoq; catarrhi, ratione materiæ atq; adjunctorum apud authores occurrunt differentiæ: Eſt namque alius craſſus vel tenuis: alius dulcis, ſalſus, acidus vel etiam inſipidus: alius mitis, ſuffocativus alius: quidam etiam Epidemius; benignus, vel peſtilens.

Cauſæ Procatarcticæ. *11. Materiam Catarrho ſuggerentes ſunt Auſtri caput gravantes, Hipp. 3. aphor. 5. itemque Aquilones, Hipp. 5. aph. 24. frigida quoque ut nix & glacies, Hipp. 5. aph. 24. tempus hyemale, 3. aph. 23. loca quinetiam paludoſa, crapula, ingluvies, balnea crebriora, ab iisque ſubita in frigidius immutatio, ſomnus immoderatus, maximè pomeridianus, & is, qui mox à cibo initur,*

itemq;

itemq; ſub radiis ſolaribus, potiſſimumq; lunaribus decubitus: ſic & vigiliæ, & lucubrationes intempeſtivæ; motus exercitiúmve poſt cibum initum, vita nimis ſedentaria, venus nimia, aliaque omnia quæ corpus cacochymicum efficere poſſunt.

12. *Internæ cauſæ in cerebri intemperie, ventriculi, itidemq; jecoris potiſſimum ſunt repoſitæ.* Cauſæ προηγούμεναι. *Cerebrum etenim calida laborans intemperie, id quod Hipp. l. 4. de morb. & lib. de glandulis dicebat, inſtar cucurbitæ humores ex infernis ad ſe arripit; frigidius autem minùs alimenti ſui concoctionem probè perficiens, excrementorum copiam congerit; quorum vel quantitate, vel qualitate, vel utraque gravatum defluxus aliorſum mandat, catarrhumque generat.*

13. *Ventriculus verò & hepar intemperatiora vaporibus caput aggravant, qui cranij denſitate & frigiditate congelati catarrho materiam ſuggerunt.*

14. *Signa Catarrhi generalia, ſenſibus etiam exterioribus ſunt expoſita. Specialiter verò an cerebro intemperies inſit calida, vel frigida, ex ſignis ſupra de dolore capitis enumeratis, conſpicitur. In Catarrho tamen propriè dicto, ſalivatio eſt copioſior, in tenui, tenuis: in craſſo, craſſior: Brancho adeſt raucedo cum faucium aſperitate: in Coryza, ſi craſſus ſubeſt catarrhus, oſſa Ethmoidea obſtruuntur; ſin tenuis, aqueo* Signa.

F & te-

& tenui humore, interdum exulcerante, nares perpetuò ſtillant.

15. *Odontalgia à tenui Catarrho producta, acerbiſſimis excruciat doloribus; tumoremq; vel nullum, vel perexiguum adjunctum habet: craſſioris verò Catarrhi ſoboles in doloribus non adeò ſævit; ſed in tumorem ut plurimùm evidentem abit.*

16. Επιφορὰ *catarrhalis à craſſo proveniens catarrho, craſſioribus ſordibus in oculorum acanthis, mitiorique dolore; à tenui contra, plurimis lachrymis, doloreque intenſiore ſe manifeſtat.*

17. Ὠδαλγίας *catarrhalis ſigna itidem à ſordium craſſitie, vel tenuitate; dolore remiſſo vel intenſo; uti & ſibilo vel magno, vel exiguo, vel nullo depromuntur.*

18. *Neq; tamen in omnibus hiſce fluxibus vel temperamenti, ætatis, ſexusque ægri, aëris ambientis, temporis anni; imò juvantium & lædentium conſideratio negligenda: cum & illa in cognitionem materiæ morbificæ nos deducendi vim obtineant non exiguam.*

Prognoſtica. 19. *Coryza ut Celſus l. 4. c. 3. inquit, leve malum eſt; Branchus, pejus; Reuma peſſimum; eidem Celſo peſtiferum vocatum, quòd facilè pulmones exulceret, vel etiam ſuffocationis periculum, Arculano teſte, inferat. Calidus catarrhus à cauſâ frigidâ, ægrè curatur: ægrius qui à cauſâ frigidâ*

frigidâ ſimiliter & ipſe frigidus; prolongatus namq; rarò aut nunquam curatur. Calidus autem ſimili cauſæ copulatus, citiſſimam admittit curam. Calidus catarrhus in juvenibus & biliosis periculo haud vacat; deſtillationes & gravedines in valdè ſenibus coctionem non admittunt. Hipp. l. 2. aphor. 20.

20. Tumor gingivarum genarumve, odontalgiæ ſuperveniens, dolorem ſolutum iri denotant. A catarrho tenui productus dolor, citius removetur, quam à craſſo. Sic & ἐπιφορὰ à tenui catarrho facilior quidem curatu, attamen periculoſior, quod acrimonia hujus & oculis & carni lachrymali, admodum ſit infenſa; hac namque eroſâ ῥύας, vel etiam illachrymatio perpetua & immedicabilis ſæpiuſculè ſubſequitur, ἀδακρυΐα quoque, ni mox initio curetur, incurabilis reſtagnare aſſolet. Aurium dolor cum febri continuâ, difficilis eſt: periculum enim delirij mortisq; imminet. Hipp. 3. progn. §. 13.

21. Methodica reumatis curatio pro varietate cauſarum, humoris deſtillantis, membriq; recipientis eſt varianda. Generaliter tamen uſitatis tribus methodo medendi inſtrumentis perficitur, Diæta, Pharmaciâ, & Chirurgiâ. Curatio.

22. Diætâ quidem, aërem eligendo naturâ vel arte temperatum, à ventis & nebulis alienum. Cibus ſit euchymus, concoctu facilis, in calido catarrho ad frigidius; in frigido ad calidius leviter

viter declinans: cujus quantitas ſemper, in cœnâ tamen magis quàm prandio, parcior: in cujus fine quiddam vaporum è ventriculo in caput aſcenſum reprimens, offeratur.

23. *Potus ſit aquæ hordei, cui glycyrrhiza cum paſſulis ſit incocta, leviterq; cum pulvere cinamomi & caryophyllorum aromatiſata: isque in calido. In frigido autem vinum oligophorum, vel aqua mulſa concedi poſſunt: ita tamen hæc omnia, ut parciſſima in uſum veniant. Nec enim fruſtrà à ſcholâ Salernitanâ dictum:*

Eſuriant, ſitiant, vigilent, qui Reumata curant.

24. *Somnus ſit parcior: Balnea & venus nulla; Hæc tamen ex Hipp. 6. Epid. com. 5. §. 23. in declinatione catarrhi, ſed modica & quidem corporibus robuſtis, concedi poſſe cenſetur. Excreta reſpondeant indies. Exercitia, præſertim à cibo, uti & animi pathemata exulent: itemque omnia, quæ in procatarcticῶν cenſu antea ſunt numerata.*

25. *Pharmacian chirurgiæ connectentes ſubductâ prius alvo, mox venæ humerariæ aut medianæ ſectio ineatur, ſi corpus ſit plethoricum, vel pleuritis anginâve ſubſecutura in metu ſit. Si cacochymia ægrum habeat cum catarrho tenui; hoc ipſo mitigato ſyr. violarum, nenupharino, papaverino, jujubino &c. decoctisque convenientibus, qualium apud practicos magna occurrit*

copia

copia, debitis poſtmodum purgantibus educatur, qualia cum aliis diaſenæ Montagnanæ, diaprunis paſſulati, decoctum ſenæ Cratonis conſil. 1. infuſum myrobalanorum, Rhabarbari &c. Catarrhus ſi fuerit craſſus, hoc ipſo attenuato, decocto hyſſopi, marrubii, capillorum Veneris, melle ſquillitico &c. poſtmodum convenientibus medicamentis expurgetur; hujus generis ſunt pill. cochiæ, aureæ &c. Troch. de agarico, extr. mechaöcæ, eſs. Scammonei, quæ utriq; tamen materiæ convenire poſſunt.

26. Confortantibus poſtmodum cerebrum cum locus tribuendus: hæc in materiâ calidâ vel electuariis vel rotulis peragetur: Electuaria autem apud Solenandrum, Cratonem, Foreſtum, aliosq; paſſim ſunt obvia. Rotularum hæc haberi poteſt formula ℞. ſacchari in aq. Roſarum & plantaginis an. q. ſ. diſſoluti unc. iij. magiſt. corallorum ſcrup. 1. Ol. è cornu cervino deſtillati gutt. v. fiant Rotulæ, ſpiritu vitrioli vel oleo ſulphuris leviter tingendæ: In frigidâ verò ℞. ſacchari in aquâ lavendulæ ſimilive diſſoluti unc. iiij. ſpec. diamb, diamoſc. an. drach. ſs. ol. nucis muſc. gutt. iij. Caryophyll. cinamomi an. gutt. 1. vel horum loco olei ſuccini, gutt. iij. fiant Rotulæ.

27. Huc quoq; faciunt lotiones pedum, decoctis cuivis catarrho convenientibus, peractæ: apo-

phlegmatiſmi, Errhina, noduli, embrocationes, cucuphæ, ſplenia, dropaces, ſinapiſmi, cauteria, cæteraque id genus ſupra quoque de dolore capitis propoſita: pulveres quin etiam varij, oſſibus bregmatis ſuturisque inſpergendi: ſic & pectinationes medicatæ.

28. *Extraordinariam ſi aggredi praxin ſymptomata urgeant, diacodium, diaſpermaton Galeno frequentiùs uſitatum, theriaca nova ab Heurnio quoque hiſtoriâ non vulgari comprobata, diapapaver, idque genus alia à ſuffocatione ægros vindicare poſſunt. Cunctis tamen hiſce prævalet hac in parte Laudanum opiatum.*

29. *Epidemicus porrò ſi ſit catarrhus, maximeque malignus; validioribus purgantibus intermiſſis, diaphoreticis alexipharmacis, qualia ſupra de febribus malignis ſunt propoſita, expugnetur.*

30. *Odontalgia eiſdem ferè remedijs tollitur: Topicorum ſaltem diverſa eſt ratio. Tenuis namque ſi ſubeſt catarrhus, præſenti cum auxilio ad revulſionem fermentum cantharidibus commixtis pone aures apponitur, veſicaque excitatâ ſanies ex eâ effluere permittitur: in craſſo autem catarrho odontalgiam commovente, varij & noduli & pulveres, gargariſmata &c. ex radic. tormentillæ, bryoniæ, Balduino Ronſeo apprimè commendatâ, herbis meliſſæ, hyſſopi, cortic. aurantiorum; rad. pyrethri, ſem. ſtaphiſagriæ &c. præparan-*

parantur: quibus tamen omnibus prævalere exuviam ſerpentis decoctam & impoſitam experientia compertum eſt. Plura hujusmodi in lectione practicorum obſervare licet, quorum tamen quamplurima, uti & ol. ſulph. ſpirit. vitrioli, ol. camphoræ, oleum caryophyll. in excavatis potiſſimùm dentibus locum habent, vide Gal. l. 5. κτ̃ τόπους cap. 8. & 9.

31. Epiphoram catarrhalem, præmiſſis univerſalibus, cucurbitulæ ſcarificatæ interſcapilio appoſitæ feliciſſimè curant: Interim tamen non negligenda, quæ antea pro exſiccatione catarrhi à nobis fuere propoſita.

32. Topica quod attinet, horum ſylva apud practicos haberi poteſt. Palmam tamen his cunctis ferè præripiunt Ros majalis ex fæniculo & Euphraſiâ collectus, liquor ex ſalice florente vulneratâ deſtillans, & liquor ſtillaticius à Baptiſtâ Portâ quodam in loco deſcriptus.

33. Ὠδαλγίᾳ ſimiliter mox in principio præmiſſis univerſalibus, & fonte Catarrhi exſiccato, haud infrugiferè medetur Ol. amygd. amar. è nucl. perſicis expreſſa. ol. itidem Caſtorei, ol. ex epate capitonis piſcis deſtillatum. Vapor quin etiam aceti calidiſſimi, pani effracto calido è clibano extracto, infuſi: ſic decoctorum quoq; cephalicorum vapor per infundibulum receptus. aq. Cardui benedict. iterato deſtillata, quam commendat Crato epiſt. 126. Scholzij.

34. *Præ cæteris verò medicamentis omnibus ſunt efficaciſſima olea quæ ex cephalicis herbis, itemque aromatibus chymico ſubſidio ſunt elicita; attamen non his ſolis ob nimiam vehementiam, ſed aliis commixtis eſt utendum: atq; hæc in cauſâ frigidâ. In calidâ verò commendantur vitium recens amputatarum lachrymæ, decocta anodyna, quibus perexigua vis Narcotica cum paucis opii granis acceſſerit; his tamen maximâ cautione eſt utendum.*

35. *Vbi tamen, vel Roſâ Anglicâ monente, obſervandum, medicamenta ἀκουστικὰ ſedulò rurſum cotidiè ut expurgentur, ne exitus meatus auditorii præcluſus, ſordes intus retineat: cui malo ut occurratur, vel aliquid vini, eodem auctore monente, pinguibus hiſce admiſceatur.*

Diſputatio IX.

DE ANGINA ET UVULA.

Quam defendendam ſuſcipiebat

BERNHARDUS OLDERMAN Roſtochienſis.

THE-

THESIS I.

COmplures licet oris & faucium exiſtant morbi, qui à defluxionibus ſupernis originem trahunt: reliquis tamen in præſentiâ miſſis, Anginam, & Uvulam, frequentiores quippe & periculoſiores, diſcutere aggrediemur.

2. Priori à variis varia quoq; impoſita ſunt nomina. Alii ſiquidem anginam ab angendo: alii κυνάγχην, à canibus: λυκάγχην, à lupis: ὑάγχην à ſuibus: hiſce quod animalibus infeſta ſit, denominarunt. Germani, die Breune / oder Ungeriſche Kranckheit.

3. Definitur inflammatio muſculorum faucium, vel laryngis, deglutitionem & reſpirationem intercipiens.

4. Binæ hujus primæ & præcipuæ occurrunt differentiæ: Vera ſeu legitima una; ſpuria, nothave altera, Gal. l. 4. de vict. acut. com. 30.

5. Veram cum Gal. l. 4. de loc. aff. 3. l. 4. aph. com. 34. l. 3. prog. com. 16. 17. Paulo quoq; Aeginetâ l. 3. c. 27. et aliis Hippocrate poſterioribus, quatruplicem facimus. Prima eſt συνάγχη, interiores laryngis fauciũq; muſculos infeſtans, quæ βάρυγγα, ſuppreſſâ lingvâ, introſpicienti, rubore & tumore eſt conſpicua. Altera κυνάγχη ſpecialiter dicitur, quæ nec in faucibus, nec extrinſecus tumore ruboreve dignoſci poteſt, quibusdam etjam λυκάγχη vocatur. Tertia παρασυνάγχη appellatur, fauces quidem interiores occupans: ex-

trinſecus tamen tumore & rubore ad oculum evidens. Quarta παρακυνάγχη, externæ gutturis partes quando tument: pleriſq; cum Avicenna & Paulo ſic diſtinguentibus. Cælius namq; Aurelianus παρακυνάγχην tum nominandam cenſet, alterutra ſolum laryngis pars ubi adficitur.

6. *Spuriæ itidem ſunt duæ: quarum prior eſt à pituitoſo reumate ad fauces cervicisve muſculos decumbente, ibidemque tumorem œdematoſum excitante. Altera eſt à vertebrarum colli luxatione introrſum peractâ: cui pueros præ cæteris obnoxios, teſtatum reliquit Hipp. l. 2. Epidem. ſect. 2. & Gal. l. 4. de loc. aff. c. 3.*

7. *Gurgulionis porrò affectionem, ſi ſuperiori parte ſit tenuior, inferiori craſſior, & uvæ inſtar propendeat, σταφυλὴν, uvam, ſive uvulam; teretem ſin formam obtineat, κίων, columellam cum Gal. l. 6. κατὰ τόπ. c. 3. Paulo Ægineta l. 6. c. 31. Corn. Celſo l. 6. c. 14. l. 10. c. 12. & aliis celebrioribus medicis vocitamus.*

Cauſæ. 8. *Cauſa quatuor verarum anginæ differentiarum eſt vel bilioſa vel etiam ſanguinea, in ſingularum ſubjecta defluxio: cujus quidem & procatarctica & proëgumenæ cauſæ è ſuperiori de catarrho diſputatione ſunt conſpicuæ.*

9. Spuriarum prior à pituitòſo reumate, ex antea uti dictis quoq; patet, inducitur. Poſterior utplurimum à vi externâ, ictu, caſúve; rarius ab internâ, tumore dearticulationem excitante, humoréve vertebrarum vincula laxante, gignitur.

10. Veræ anginæ ſigna in genere ex Hipp.l. 2. de morb. colliguntur ſubſequentia: Febris adeſt aſſidua, deglutiendi & reſpirandi difficultas, ſtertor. Speciales verò differentiæ cujusq; ex theſi 5. ſunt conſpicuæ. Cauſarum autem ſigna, præterquam quod ex habitu, ætate, anni tempore, cæterisque id genus cicumſtantijs, habeantur; tumore ruboreque majori vel minori colliguntur. Signa.

11. Spuriarum prior febrem neſcit, tumoremque ſine rubore profert. Poſterior ſæpius poſt cauſas procatarcticas easq; violentas; interdum tamen etiam proëgumenas: cervicem ponè excavatam ſenſibus offert.

12. Sic uvula & columella quoq;, ſingulæ ſuis ſe conſpiciendæ proferunt formis, quæ theſi 7. ſunt propoſitæ.

13. Prognoſtica in Angina ex Hipp. & Gal. hæc obſervanda præ cæteris cenſemus: κυνάγχην propriè dictam, ſummo dictatore ſic monente in coacis præſagijs §. 363. & 3. progn. 16. periculoſiſſimam pronunciamus: proximam in perdendo vim habere συνάγχην; mino-

minoris eſſe malitiæ παρασυνάγχην *: tutiſſimam harum* πνευμωνάγχην *: idq; ſene itidem noſtro approbante, tùm alibi, tùm præcipuè dicto jam coäc. præſag. loco, item 6. aphor. 37. & 7. aphor. 49.*

14. Spuria, quam diximus, angina prior pueris perquam eſt familiaris, omnium ferè tutiſſima; attamen prioribus diuturnior: altera, luxationis vertebrarum colli progenies, à vi externâ ſi facta, deſperata & lethalis eſt: tuberculo vel pituitoſo alluvio inducta, rarius: attamen interdum curationem admittit. Hipp. lib. 2. epid. ſect. 2.

15. Columellæ, ſicut & uvulæ, principio facilis eſt curatio: quæ tamen neglecta, aut ſuffocationem ægri, aut gargareonis gangrænam, infert, quarum utraque vel ferro, vel cauſtico prævenienda. Gal. l. 6. κατὰ τόπους c. 3. Hipp. lib. 3. prognoſt. §. 21. l. 2. de morbis. Corn. Celſ. l. 6. c. 14. l. 7. c. 12. Paul. Aegin. l. 6. cap. 31.

Curatio. *16. Curationem dum perſequimur, diæteticen pro diverſitate acuminis, & temporum quoque morbi, commodam; tenuem attamen ſemper præſcribemus. Aër ſit temperatus, lucidus, liber, radijs tamen Solaribus aut Lunaribus haud illuſtratus.*

17. Cibus in principio ſemper ſit tenuis, monente ſic Hipp. 1. aphor. 7. & Gal. lib. 6. κατὰ τόπους. c. 3. isque liquidus & ſorbilis, actuque calidus.

Priori

Priori itaque triduo non niſi decoctum hordei, cui dulcor, ſyrupo viol. roſar. ſiccarum, ſaccharove cando, ſit afflatus, exhibeatur. Hordeatis ſin uti diſplicuerit ægris, cerevisiarum defecatiorum uſus concedatur.

18. In παρακυνάγχῃ tamen, uti quoque ſpuriarum priori, plenior paulò concedi poſſe commodè videtur: unde non incommodè & in hiſce ferè ſemper; & in reliquarum declinatione non incongruè cremor ptiſanæ ſacchar. vel melle conditus, juſcula carnium, ova ſorbilia, in parvâ quantitate, exhibentur.

19. In potu qui mulſam præbent, rationi obluctantur, ni declinationem morbi, vel pituitoſam notham, hoc ipſum faciendo reſpiciant. Sic etenim & hæc ipſa, diſcuſſionem materiæ quo adjuvet, & vinum quoq;, concedi poterint.

20. Quies totius, præcipuè ſupernarum partium, imperetur: unde & loquela haud inconvenienter ægris interdicitur.

21. Vigilijs, uti in catarrho, plurimum temporis tribuatur; & ſomnus, ſi vel invitis obrepat, de induſtriâ quoq; ab aſtantibus interrumpatur. De reliquis non naturalibus rebus, quod in catarrho ſuperiori diſputatione monitũ, idem obſervetur.

22. Præceps cum ſit malum angina, principio reſiſtendum Vena itaq; (præmiſſo tamen clyſtere) mox feriatur Cephalica, è quâ ſi ſangvinis quantitas ſufficiens, ob virium ægri lapſum, primâ e-

duci

duci haud queat vice, paucis elapſis horis, iteratò id fiat. Mulier à ſuppreſſis menſibus anginam ſi incurrat, Saphena huic ad talum ilico aperiatur: ubi tamen ingravidationis ſedulam competit habere rationem. Hæc etenim ſi adſit, à ſaphenâ prorſus abſtinendum, & ad cephalicæ inciſionem feſtinandum.

23. Quo facto ſi fauces non detumuerint, venarum ſub linguâ apertio facienda. Phlebotomiæ tamen vicem in imbecillioribus rariorisq; texturæ hominibus ſupplere poterunt vel cucurbitulæ, primùm natibus, dehinc interſcapilio & cervici applicatæ, vel etiam hirudines iiſdem in locis adhibitæ.

24. Purgantia dehinc non intermittenda, quæ deglutiri ſi nequeant, vel per clyſteris tubum injiciantur; quo natura cacochymiæ levata oneře, reliquæ curationi perficiendæ par eſſe valeat. Deglutitio cum redierit, liquidioribus per os aſſumptis purgantibus, prior defectus ſuppleatur; ubi, ſi uſpiam, vel chyminis laus debetur, quippe quæ mole exiguâ multum efficaciæ obtineant. Huc pertinent Ol. & eſſentia Antimonij, Scammonij, Agarici, Rhabarb. &c.

25. Hæc dum aguntur, Topicorum uſus haud negligendus: revulſionis itaque cauſâ & frictiones aſperæ fortesque, & vincula arctiora extremis adhibeantur partibus. Gargariſmatibus

bus utiq; & hîc locus eſt dandus, quæ initio quidem pro diverſitate humorum, vel impetus, ex mitioribus, vehementioribuſve præparanda erunt repercutientibus.

26. Ad mitiorum claſſem pertinent auſtera pleraq;, ſicut & roſæ rubeæ ſiccæ, capreoli, & fol. vitium, rad. & germina rubi, germina cynosbati, quercus, fol. plantag. bellidis minoris &c. Vehementioribus annumerantur, balauſtia, myrti fructus & folia, glandes, meſpila, corna, omphacia, ſem. pſydiæ, ſumach, gallæ immaturæ, aluminis varia genera. Ex quorum vel ſingulis ſeorſim, vel aliquibus commixtis & decoctis, & cum rob de ribes, de berberis, diamoron, dianucum &c. prout medico conſultum videbitur, commixtis, gargariſatio continuanda erit, usq; dum principium anginæ transgreſſa videatur. Quibus tamen omnibus palmam præripit Nitrum debitè cum Sulphure depuratum, tandemq; cum aq. roſar. cryſtalliſatum: poſtmodum in aq. plantag. vel prunellæ diſſolutum & gargariſatum: ardorem etenim faucium ſubitò mitigat, & validè affluentes adhuc humores repercutit.

27. In incremento & ſtatu, monente id Gal. l. 6. κτ τόπ. c. 1. §. 1. verà medendi methodo ſic dictante, prioribus medicamentis diſcuſſoria vis, idoneis ad hanc rem pharmacis, inſuper affletur: hoc ordine, repellentia in incremento; in ſtatu

& pro-

& propè eum, diſcutientia reliquis uti præpolleant; tandem merè diſcutientibus, vel etiam maturantibus res tranſigatur. Diſcutientium atque maturantium claſſem alibi videre licet.

28. *Empiricis plurimùm commendatur hoc quod ſequitur: ℞. fol. ſalviæ, rutæ, hyſſopi, an. M. 1. Coq. in ſ. q. aq. fluentis ad medias. Colentur ad vitrum: colaturæ addatur, cultelli cuſpis ſulphuris depurati quantum capit, è mixtis fiat potio lutea, quâ tribus vicibus, mox iteratâ gargariſatione; quartâ cochlear 1. ebibendum præbent, quo facto confeſtim liberari ægrum aſſerunt.*

29. *In quo rationibus quidem illorum ſi ſtandum; quòd ſulphur balſamus ſpiritalium exiſtat partium; harumque morbos iccirco validiſſimè depellat: non tamen quovis tempore; ſed in ſtatu ſaltem illud cenſemus exhibendum; deficiente verò hoc ſulphure depurato, minori haud efficaciâ balſamus ſulphuris, quem aliàs rubinum nominant, vel ſaltem flores cum croco, myrrhâ & aloe ſublimati, decocto admiſceri poterunt.*

30. *Atque hæc intrinſecus in ore dum peraguntur, forinſecus parti affectæ, etiam in principio, non repellentia, ſed potiùs anodyna, et partiũ tenſionem cum dolore infringentia, applicari debent: ut ſunt Ol. chamomelinum, anethinum, amygdalin: dulce, liliorum alborum, ungvent. dialthææ &c. quibus calidis inunctis Oeſypus vel lana ſordidæ ſuperinducendæ.*

In in-

31. In incremento hæc ipſa externa majori attractoriâ vi polleant, quibus inter reliqua Album græcum quod vocant, ſtercus anſerinum, humanum, nidus hirundinum cum toto, cæteraque id genus occultâ quâdam proprietate hîc profuiſſe obſervata, incoqui vel immiſceri poterunt.

32. Sin copioſa nimis materia diſcuti nequeat, maturetur, maturatâ, quò maximè vergit, facto foramine vel intus, aut foris, educatur, & tandem reliquorum ulcerum inſtar, percuretur.

33. Intus verò non incommodè iteratis aliquot vicibus, pul. hirundinum uſtarum, raſuræ dentis apri, ſem. cardui Mariæ &c. (quæ totâ ſubſtantiâ hîc prodeſſe comperta ſunt) vel ſingulorum ſeorſim, vel conjunctim ʒ. 1. ex ol. amygdal. dulc. cum ſaccharo cando, vel ſyrup. violar. exhibeantur.

34. In uvula & columella præmiſſis univerſalibus, ſi vel plethoræ vel cacochymiæ adſint ſigna, debinc gargariſmatibus adſtringentibus & exſiccantibus inſiſtendum: ubi tamen vel maximè auriculam Judæ & uvulariam in vino rubeo decoctam, & gargariſatam, plurimum valere compertum eſt.

35. Vertici pro revulſione quidam phænigmos ex cantharidibus & fermento: alij ovum aſſatum, perq; medium diſſectum, medietatem hujus unam poſt aliam calidam vertici vel ſuturæ coronali; vel etiam medullam nucis juglandis

glandis cum ſpir. vini contuſam ibidem imponunt.

36. Quibus medicamentis vel propter initio neglectam curam, vel ægri intemperantiam, ſi non reſtituatur, ferro dividenda, aut portio ipſius præſcindenda, quod quomodo peragendum, videri poterit apud Celſum l. 6. c. 14. & l. 7. c. 12. Paul. Æginet. l. 6. c. 31. Foreſt. Paræum & alios.

Diſputatio X.

DE TVSSI ET ASTHMATE;

Quam defendebat

PAVLVS DESIDERIVS Foſsius Danus.

Thesis I.

AD ſpiritalis, ſeu mediæ cavitatis τῦ μικρο-κόσμυ adfectiones devoluti, de Tuſſi & ſuſpirio prioris ferè conſectario, diſquiſitionem inſtituentes hîc operæ nos facere precium arbitramur.

2. Tuſſim βῆχα quam dicunt Græci, Latini interdum tuſſiculam, Cælius Aurelianus Tuſſedinem: cum Galeno lib. 2. de Sympt. cauſſ. cap. 4. Cæterisq; Medicis celebrioribus definimus, vehementiſſimam quandam efflationem ſpiritu mul-

tu multo per fauces ſubitò irrumpente, & ſecum nociva pulmonibus, ſibiq; ipſi viam intercludentia, educere adtentante.

3. Efflatio a. illa à muſculis thoracis conſtrictis, & pulmones comprimentibus, atq; ſic ſpirituum copioſam expulſionem promoventibus perficitur: cooperante ſimul facultate naturali expultrice, infeſta pulmonibus expellere ſatagente.

3. In Aſthmate nominando varij admodum ſunt Medici. Hippocrates ἆσθμα, παρὰ τὸ ἀσθμαίνειν, ab anhelando, quamlibet reſpirationis difficultatem, ea ſive à curſu, ſive exercitio vehementi, ſive bronchiorum pulmonum obſtructione fiat, appellavit; quod patet ex Galeno in lib. 3. aphor. comm. 26. lib. 6. aphor. com. 46. lib. 2. porrhet. §. 30. lib. 6. Epidem. comm. 4. §. 1. Item lib. 7. κατὰ τόπους cap. 6. §. 1. Hippocrate lib. de naturâ mulieb. & aliunde. Paulo quoq; ex Æginâ Medico lib. 3. cap. 29. Aretæo lib. 1. cap. 11. Δύσπνοιαν alij, nonnulli ὀρθόπνοιαν ſpeciei nomen generis loco uſurpantes, indigitarunt. Sic Cælius Aurelianus lib. 3. tard. paſſ. c. 1. & lib. 2. acut. morb. cap. 17. Anhelationem & Suſpirium; Seneca epiſt. 51. Meditationem mortis, denominandum cenſuerunt.

5. Aſthmatis igitur vocabulo propriè accepto definimus illud, ℥ reſpirationis difficultatem ob bronchiorum pulmonis obſtructionem, ſine febre tamen introductam.

Differ. *6. Tuſſis variæ ſunt differentiæ: nos tamen cæteris in præſentiarum miſſis, binas hujus primarias agnoſcimus: ſiccam nimirum vel humidam: hasq; vel recentes aut inveteratas.*

7. Sicca eſt, cum quidem facultas ad excernendum ſtimulatur: ſed tuſſiendo nihil excreat: humida contra, vel ſemper vel plerumq; expectorando materiam eijcit. Recens eſt quæ nuperum ſaltem ortum habet; inveterata, diuturniores firmioresq; radices egit.

8. Suſpirij differentias ex Galeno. l. 6. aphor. com. 46. & lib. 7. κατὰ τόπους cap. 1. §. 1. Celſo. l. 4. c. 4. tres conſtituimus. Prima eſt, quam δύσπνοιαν appellant, in quâ expiratur difficilius, quàm inſpiratur: altera ὀρθόπνοια dicta, inſpirationem expiratione difficiliorem habet: tertia utramq; hanc functionem difficillimè exequitur, ἆσθμα, propriiſſimè hinc nominatur, quæ quidem inter priores medium q. locum obtinet.

Cauſæ. *9. Cauſæ generales tam tuſſis, quàm ſuſpirij, ex ſuperioribus de Catarrho, ſunt conſpicuæ: ſicca tamen tuſſis vel ratione humoris expellendi, qui aut nullus eſt, dum nempe nuda intemperies arteriam exagitat; aut nimis tenuis craſſuſve, quo expirationi impetuoſæ refractarius ſubſiſtit; vel ratione facultatis, ſenio, doloreve jam proſtratæ, oboritur. Humida contrà.*

10. Fit tamen etiam tuſſicula hæc arida non rarò per ſympathiam, dum á partibus infernis,

ven-

triculo, epate, utero, &c. inflammatis, acrimoniæ ſocietas pulmonibus quoq; communicatur, quâ de re nobis hoc loci nulla diſquiſitio inſtituitur, ſed aliò reſervatur.

11. *Aſthmatis cauſa* προηγουμένη, *quæ tandem &* συνεκτικὴ *evadit, eſt Rheuma deſuper pulmones incurrens, horumq; bronchiás obſtruens: qui quidem infarctus quo major, eò deteriorem quoq; Aſthmatis ſpeciem producit. Pituita quinetiam congeſta propriâ pulmonum dyſcraſiâ, à rebus non naturalibus his ipſis introducta, cauſari eandem potis eſt. Tuberculum quoque crudum, vel grando pulmonum, vel etiam capſula quædam vermibus repleta hanc ipſam excitaſſe, Hollerij, aliorumq; practicorum obſervationibus comprobatum eſt: quod tamen dum factum, comitem ſibi febrim plurimum conjunctam habuit: atq; iccirco huc non ſpectare videtur.*

12. Προκαταρκτικαὶ *præter illas, quæ in Catarrho numeratæ, ſunt violenta pectoris percuſſio, à natalibus itidem hujus anguſtia; labores quinetiam chymici cum mineralibus & metallis incautius initi, hanc tandem mercedem ſuis attribuentes.*

13. *Signa tuſſis cuilibet ad ſenſum quoq; ſunt evidentia: Cauſarum verò* διάγνωσις *majori eſt accuratione indiga: quam tamen ex ſuperioribus de Catarrho deducere, & horſum derivare, haud erit difficile.* Signa

14. Δύσπνοια, quod Etymon quoq; inſinuat, ſpirandi difficultatem perpetuò adjunctam habet: tuſſim quoq; aridam ſæpiſſimè agnoſcit comitem, quòd materia lenta tenacius hærens, educi atq; expectorari nequeat: quæ quidem circuitu redeuntibus deſtillationibus, copioſioremq; materiam coacervantibus increſcens, propriiſſimi tandem aſthamitis ideam induit, ſtertoreq; inſuper, ſibilo, ſuſpiriòve ſe indicat. magis magiſq; tandem increſcens, in Orthopnœam tranſit, quâ laborantes non niſi erectâ cervice ſpirare poſſunt.

15. Congeſtionis ſignum à perpetuante dyſpnœâ, catarrho etiam ceſſante, temperamento, ætate, ſexu, vivendi ratione, cunctis ad frigidius pariterq; humidius declinantibus; præcipuè verò ex furtivâ hujus irreptione, depromitur.

16. Tuberculi tandem notæ, docente Galeno lib. 4. de loc. affect. c. 7. ex pulſus inæqualitate maximâ, dolore itidem obtuſo & gravante, rectâq; cervice ſpiratione, juxta Hippoc. lib. 2. de morbis, deſumuntur.

17. Symptomaticarum tandem, & Tuſſis, & Suſpirij ſigna, ex proprijs & primarijs ſuis morbis ſunt petenda.

Prognoſtica.

18. Prognoſtica, quæ in ſuperioribus de Rheumate, diſput. de Catarrho theſi 19. fuère propoſita, eadem & in tuſſi, & in ſuſpirio hîc locum habent, & præter illa hæc quoq; ſequentia: Tuſſis vehemens in pueris ramicem, in adultis venæ ruptu-

rupturam, ſputum ſanguinis, ſaniei, & phthiſin concitat. Hipp. lib. 7. aphor. 15. Avicen. Fen 10. tertij. c. 1. Eadem prægnantibus abortus ſæpè cauſa exiſtit. Diuturnæ tuſſi inflammatio teſtium ſuperveniens, illam ſolvit Hipp. 2. Epidem. Inveterata tuſſis, dicente Celſo, ubi ſupra, difficulter eliditur: præcipuè ſi à capite deſtillantes, ferinæ evadant: ut ajebat Galen. in 6. Epidem. ſect. 2. §. 24. materiaq; tuſſiendo non eijciatur, monente Avicennâ, ubi ſupra.

19. *Ratio medendi pro diverſitate cauſæ, diverſa quoq; ineunda. Citra etenim materiæ implicationem à ſolâ proveniens intemperie, tuſsis; contrarijs alterantibus hæc ipſa deſtruenda.* Curatio.

20. *Alterationem autem hanc vel ſola diæta, qualis in ſuperioribus, & de dolore capitis, & in catarrho fuit propoſita, complere poteſt: cui tamen, ni ceſſerit, vel alterantibus infra poſitis emendanda erit.*

21. *Vnum tamen hîc notandum, quod & Galenus lib. 1. de humorib. comm. §. 18. ſcriptum reliquit, tuſsim leviorem (qualis à ſolâ intemperie) abſtinentiâ à tuſsiendo facilè curari.*

22. *Materialem ſi cauſam agnoſcat tuſsicula, hæc & diætâ, & pharmaciâ cum chirurgia, ſuperius de catarrho enumeratis extirpanda. Vbi tamen & temporum morbi particularium diligens habenda eſt ratio. Nam Galeno lib. 4. meth. med. c. 6. monente: Perpetuum eſt, incipien-*

tem fluxionem ad contrariam trahendam eſſe; fixam verò jam in laborante particulâ vacuandam; vel ab ipſâ particulâ, quæ affligitur, vel maximè vicinâ.

23. Nec illud oblivioni tradendum, quod idem quoque Galenus lib. 13. metho. med. cap. 6. ſcriptum reliquit; Fluxio, quæ adhuc eſt in generatione, in eâ evacuatione humoris influxi prior eſt confluentis adhuc ad locum affectum, humoris inhibitio. Scaturigine ergo prius obductâ, id quod influxit, ſi tenue ſit & calidum, incraſſandum, refrigerandumque, haud tamen aſtringentibus, ſed emplaſticis: ſin craſſum, incidendum, abſtergendum, & bechicis tandem ad expectorationem promovendum.

24. Incraſſantium refrigerantiumque materiam & illa, quæ in ſuperioribus de Catarrho calido & tenui enumerata, ſubminiſtrabunt: & hoc loco ſequentia: Saccharum candum, præcipuè illud, quod in ſyrupis Roſac. & violac. concreſcens, parietibus vaſis adhæret, conſer. roſarum violarumve candiſatæ, Trochiſci Bechici albi, rubei, flavique, diatragacanthum frig. diapenidion ſine ſpeciebus, Saccharum roſatum, maximè cum ſpiritu vitrioli tabulatum, Zyzypha ſimplicia, & ſaccharo condita, portulaca cruda & condita manſa, aut quoq; ferculis incocta: lac ſem. papav. albi, ſive paulatim ſorbeatur, vel eo os abluatur & gargariſetur; ſive etiam

illo

illo fercula parentur, lohoch de mucilaginibus, de pſyllio, de althæâ, lambile ex oleo amygdalarum dulcium, diacodium vel etiam ſequens: ℞. Sacch. candi roſati in aq. farfaræ diſſoluti, uncias ij. ſpec. diatrag. frig. diapenidij abſq; ſpeciebus, ana ℥. ſs. Magiſt. Corall. ſcrup. ſs. perlarum gr. v. ol. roſar. violarum ſtillaticij ana. gutt. iiij. fiant rotulæ, veſperi ituris cubitum exhibendæ. Præſentius tamen hiſce omnibus præbet auxilium Laudanum opiatum, paucorum granorum q. in aquâ farfaræ diſſolutum, cui ſi libet parum ſacchari candi violati additum veſperiq; dormiturientibus propinatum. Cunctis etenim hiſce tenuitatem catarrhi incraſſandi, expectoratumq; dehinc promovendi vis ineſt.

25. *Incidentia, abſtergentia, ſimulq; bechica, materiæ craſſæ, viſcidæ, tuſſiculam inferenti conſecrata, & in ſuperioribus de catarrho, itemq; de Anginâ ſpuriâ fuere propoſita, tum etiam mox uberius de Aſthmate enarrabuntur, horſum accommodentur.*

26. *Curationem itaq; ſuſpirij quod attinet, præter alia ſuperius in ſæpius dictis de catarrho & Anginâ diſputationibus, propoſita, hæc ſibi inſuper peculiaria expetit; Aër ut ſit temperatè calidus, cibus euchymus,* εὔπεπτος; *potus, vinum enulatum, Melicraton, cui vis medicata, marrubio, hyſſopo, ſimilibusve pectoralibus ſit afflata, Cereviſiæ defecatæ, enulatæ, & id generis. Som-*

nus ſit parcior, qui capite paulò ſublimiori ineatur: Ituri cubitum caricas pingues leviter toſtas, ſpirituq; vini exulato, vel etiam ſulphurato, maceratas comedant.

27. *Craſſior in bronchijs pulmonum reſidens pituita, decoctis herb. hyſſopi, marrubij, capillorum Veneris, ſcabioſæ, Rad. enulæ, polypodij, glycyrrhizæ, ficubus, &c. melli ſquillitico, ſyrupis, de praſſio, de eryſimo, de pulmonariâ, de glycyrrhizâ, ſimilive alij commixtis præparetur, digeſta & præparata blandioribus phlegmagogis educatur. Obſervandum tamen, ne temerè, corpore reliquo puro, purgantibus illud affligamus. Sufficiat itaq; infuſo agarici ſuperaddere diaphœnici, diacarthami, vel diaprunis paſſulati paucas drachmas; vel etiam Caſſiæ aut mannæ quiddam.*

28. *Corpus tamen ſi robuſtius occurrat, prioribus forſan purgantibus exiguum quid Tinct. Ellebori, cum vino Petro Simeno vocato elicita non incommodè addetur. Chymicis ſin uti lubitum fuerit & alijs, Ext. Mechoacæ, Agarici, Turpethi, Tinct. Ellebori modo dicta, uti & extractum ejuſdem, Eſſentia Antimonij ritè præparata, haud temnendam hic utilitatem præſtabunt.*

29. *Dehinc Expectoratum promoveatur, Syr. de Squillâ, oxymelle ſquillitico, &c: lohoch ſano & experto, de ſquillâ, de pino, de pulmone vulpis, de*

pis, de

pis, de caulibus, de farfarâ, ſpeciebus diatragacanthi calidi, diaireos ſimpl. & Salomonis, dianiſi, diabyſſopi, pliris arcont. flor. ſulphuris, pulvere Aſellorum vel horum infuſo, &c.

30. *Ad inſtar multorum hoc ſit ſubſequens* ℞. *Conſ. flor. hyſſopi, Veronicæ, ana* ℥. j. *betonicæ, Rad. pimpinellæ incruſtatæ, enulæ conditæ, ana* ℥ ſs. *Agarici non trochiſcati tenuiſſimè pulverati* ʒ. j. *pul. Aſellorum, flor. Sulphuris ana* ℈. ij. *extract. calami aromatici* ℈. j. *tinct. croci* ℈. ſs. *olei angelici gutt.* 5. *Cum ſyrupo de pulmonariâ & melle ſqvillit. ana q. ſ. fiat Elect. lambile, addito bacillo de Glycyrrhizâ.*

Diſputatio XI.

DE PLEVRITIDE ET PERIPNEVMONIA;

Quam tutari conabatur

IOACHIMUS URSINUS Stolpenſis Pom.

THE-

Thesis I.

Eſpiritalium numero partium haud poſtremæ ſunt pulmones, pleura, mediaſtinus, diaphragma, muſculi meſopleuritici, & tandem muſculi thoraci incumbentes.

2. Harum in partium unâ vel pluribus ſi morbus vel ſimiliaris, vel etiam organicus ſuboriatur, variè reſpirationem lædi, læſam hanc varia quoq; pathemata comitari neceſſum eſt. Nos tamen reliquis nunc miſſis factis, Pleuritidis & Peripneumoniæ naturam diſquiremus.

3. Pleuritis è numero illarum eſt affectionum, à parte læſâ quæ denominationem cæperunt. Gal. l. 2. meth. c. 2. Definimus eam ex mente Hippocratis tum alibi tum maximè lib. de locis in homine lib. 2. & 3. de morbis, lib. de affect. libris de vict. acut. aphoriſmorum lib. 3. Epidem. ſect. 3. ægroto 8. Galeni lib. 6. aphor. 33. 4. de Cau. pulſ. 8. 5. de loc. affect. c. 3. Pauli Æginetæ l. 3. c. 33. & alijs mille locis, inflammationem pleuræ vel membranæ coſtas ſuccingentis, vel etiam muſculorum meſopleuriticorum.

4. Duplicem hanc cum celebrioribus Medicis facimus: Veram unam, quam jam definivimus, ad quam & illa non incommodè refertur, quæ muſculos meſopleuriticos; imò & mediaſtinum, vel diaphragma ſæpius infeſtat. Alteram notham, vel ſitu vel materia talem.

Materia

5. *Materia quidem, ſi phlegmatica, ſanguinis citra commixtionem, tumorem œdematoſum, vel etiam pneumatoſum, qui* φυσώδης *aliàs dicitur, in Meſopleuriticis, externiſve thoracis muſculis efficiat. Situ verò ultra priores & veram phlegmonen exteriores muſculos occupantem.*

6. Περιπνευμονίην, *quæ &* περιπλευμονίη *Hippocrati, Latinis Pulmonia, Pulmonis dolor, de ſententiâ Galeni in definitionibus Hippocratis l. de locis in homine, l. de morbis* 1. 2. *&* 3. *lib.* περὶ παθῶν, *lib. de inter. aff. lib.* περὶ κρισίμων *& alibi paſſim, Celſi l.*2. *c.*1.6.7. *& l.* 4. *c.*7. *Aretæi lib.* 2. *cap.*1. *Pauli Æginetæ l.* 3. *c.*30. *definimus Inflammationem pulmonum.*

7. *Eſtq; hæc ipſa vel primaria,* πρωτοπάθειαν *vocant; vel ſecundaria,* δευτεροπάθεια *dicta, pleuritide, anginâve in hanc ipſam degenerante.*

8. Προκαταρκτικαὶ *pleuritidis cauſæ ſunt ab Hippocrate lib. de aëre, aq. & loc. &* 3. *Aphor. enarratæ, Regio & tempora Aquilonaria; hinc Autumnus & hyems in pleuritidem prægnantes; minus ver; minimè omnium æſtas. Quibus addere licet quatuor illas à Celſo lib.* 4. *c.* 6. *poſitas, frigus, ictum, nimium curſum & morbum: quo ſolitam evacuationem ſuppreſſam, menſes ſcilicet vel hæmorrhoides: Anginam item, ſimileſve in hanc degenerantes, accipiendos putamus.*

9. *Ex harum quoq; cenſu haud exſtirpandas cenſe-*

cenſemus & illas, ab alijs quoq; practicis quæ reperiuntur annotatæ: Aquæ frigidæ & vini quoque meracioris liberaliorem potum, caſum, magni ponderis geſtationem moleſtam, frigus corpori ſudoribus diffluenti ſubitò occurrens, &c. vomitum quinetiam hiſce adnumerare Ruffus non dubitavit.

10. *Eaſdem & pulmoniæ cauſas agnoſcit procatarcticas, & præter illas teſtibus Hippocrate l. 1. de morb. l. de aëre aq. & loc. eſum carnium immoderatum, aquarumq; limpidarum cum lacuſtribus & paludoſis permutationem; Cælio, eſum leporis marini, medicamentorum ex Opio, ex Hyoſcyamo, idq; genus aliorum præpoſterum uſum. Clamorem quinetiam immodicum hanc ipſam produxiſſe obſervatum fuit.*

11. Προηγούμεναι, *poſtmodum Synecticam conſtituentes, in verâ pleuritide exiſtunt quivis humores corporis; præcipuè tamen bilis & ſanguis, in pleura congeſti, vel impetu quodam è venâ cavâ per venam azygon in venas pleuriticas aut meſopleuriticas irruentes.*

12. *Spuriæ verò pleuritidis cauſæ, ut ex theſi etiam 5. patet, habentur pituita vel flatus, non quidem in ipſâ pleurâ; ſed in muſculis intercoſtalibus, nonnunquam etiam externis, collecti: imò & tumor quivis in exterioribus hiſce, à cauſâ ferè procatarcticâ pronaſcens.*

13. *Eandem quoq;* τ̃ προηγουμένων *itemq;* συνεκ-

τικῶν in peripneumonia rationem eſſe conſtat: hoc dummodo pro multis locis Galenicis ſpecietenus ſibi contradicentibus, expediendis obſervetur: per πρωτοπάθειαν quæ ſit Pulmonia, hanc è bilioſi alimenti, pulmones quo nutriuntur, reliquijs, per modum congeſtionis accumulatis introduci: ex δευτεροπαθείᾳ, illam quoſcunq; humores in pulmonem cum ſanguine tamen mixtim, irruentes excitare poſſe.

14. *Pleuritidis veræ ſigna à Galeno lib. 5. de loc. aff. c. 3. & alibi locis antea notatis, hæc recenſentur: Dolor punctorius ad jugulum vel præcordia usque tendens, ſpiratio frequens, febris continua, quæ ipſa, uti & dolores, dicente quoque hoc ipſum Hippocrate l. 3. de morbis, noctu magis ingraveſcunt: pulſus durus & ſerrinus Gal. l. 4. de cauſ. pulſ. c. 8. quæ quidem omnia veriſſima, certiſſima & infallibilia Pleuritidis ſigna pathognomonica exiſtunt: cætera hinc inde ab authoribus enumerata; Cerebri & mentis læſio, tuſſis, ſitis, genarum rubor, inquietudo, idq; genus alia, non παθογνωμονικὰ ſed συνεδρεύοντα exiſtunt.*

15. *Cauſarum tandem ſigna, doloris & febris intenſio vel remiſſio; tum & ſcreatu educta, nobis inſinuant. Dolor namque cum febri, ſi bilis ſubſit, magis urgent; mitius ſi ſanguis; lenteſcunt quaſi ſi pituitoſior, vel etiam Melancholicus magis ſit ſanguis. Screatu rejecta colore ſuum progenitorem demonſtrant. Nam, ut dicebat Galenus,*

nus l. 2. de loc. aff. c. 9. & lib. 5. ejusdem c. 3. bile abundante, tuſſiendo pallidum aut flavum: atrâ bile, nigrum: pituitâ, ſpumoſum & candicans: ſanguine, rubrum ſputum eijcitur.

16. *Spuria præterquam quod Pathognomonica priora ferè ignoret, fomentis Hippocrate lib. 2. περὶ διαίτας ὀξέων §§. aliquot ad longum recenſente, etiam quam mox ſedatur. Sic & decubitum non in partem ægram; ſed oppoſitam admittit; cujus contrarium in priori contingit: Vt interim taceam, quæ ab antegreſſis, habitu, ætate, ſexu, anni tempore, victus ratione cunctis pituitam accumulantibus, depromuntur. Imò, in muſculis externis, vel oculis quoq; conſpicitur. In flatulentâ maximè, pro horum incremento decrementóve, & dolor augmentum vel decrementum accipit.*

16. *Pulmoniæ ſigna ex varijs Galeni locis, maximè l. 2. de loc. aff. c. 9. lib. 4. ejuſdem c. 7. hæc eliciuntur: Reſpiratio perquam difficilis, & qualem in orthopnœâ eſſe in ſuperioribus diximus, rectâ plurimum cervice, & quàm in pleuritide frequentior: dolor gravans, qui & os pectoris, & ſpinam, & humores quoq; pertingit. Exſpiratio calida & fervens, pro diverſitate tamen materiæ & hac parte varia. Febris intenſiſſima, tuſſis principiò arida; dehinc pro humorum naturâ, variè tincta. Genarum, oculorum*

lorum & linguæ rubedo, quæ tamen pro mutatione temporum morbi & ipſa mutatur. Pulſus magnus, undoſus, languidus & mollis. E σωνεδρευόντων *cenſu eſt Mentis vel comate vel delirio oblaſio.*

18. *Cum deſperati prædictionibus ferè relinquendi ſint, priusquam adgrediamur curam, quid ſpei ſit reliquum, ſedulò attendendum. A viribus itaq; tam pleuritici, quàm peripneumonici, Galeni monitu lib. 10. meth. med. c. 5. præcipua ſalutis vel mortis prognoſis deſumenda. Dicebat namq; Galenus loco citato, Una ſalus tum pleuriticis, tum peripneumonicis, adde etiam ſynanchicis, eſt virium robur. Hoc itaq; ſi vacillet, de vitâ conclamatum erit.* Prognoſis.

19. *Spuria pleuritis periculo vacat: vera a. ſi fiat in diaphragmate, vel mediaſtino, periculi plena eſt, ſic & illa, quæ à melancholiâ aduſtâ Gal. teſte lib. conſt. art. c. 16. minus calamitoſa eſt à bile producta: à ſanguine adhuc tutior: tutiſſima, ſed longiſſima à pituitâ.*

20. *A ſputo quoq; haud poſtrema prognoſtica deſumuntur: hoc namq; ſi bonum, & copioſum primis ſtatim diebus eijciatur, fiduciam bonam de ægro præbet; contra, ſi nullum penitus vel exiguum.*

21. *A morbi tandem temporibus materiæque metaſtaſi hæc obſervanda. Quicunq; morbi laterali laborantes 14. diebus non purgantur,*

ij ad ſuppurationem veniunt. Hipp. 5. aphor. 7. Quicunq; ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in 40. diebus purgantur à die, quâ fit ruptio, liberi evadunt. Si verò non, ad tabem tranſeunt. Hipp. 5. aph. 15. In morbo laterali & peripneumonia ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breviat; ſi v. non, morbum producit, Hipp. 2. prognoſt. §. 43. & lib. Coac. prænot. §. 389. & ſequentibus. A pleuritide peripneumonia, malum. Hipp. 7. aphoriſm. 11.

22. In pulmoniâ & antecedentia pleraq; locum habent prognoſtica, & hæc quoq; ſequentia. A peripneumoniâ phrenitis, malum. Hippoc. 7. aphor. 11. Quibus pulmoniacis parotides oboriuntur, & ad inferiora ſuppurant, & fiſtula facta aperiuntur, ijs ſecunda valetudo contingere ſolet. 2. prognoſt. §. 64. In vehementibus & periculo proximis peripneumonijs, abſceſſus ad crura omnes ſanè utiles. Optimi verò qui fiunt ſputo mutationem ſubeunte, &c. ibidem §. 67. plura huc ſpectantia qui volet Hippocratem adeat lib. de diebus judicat. lib. Coac. prænot. §. 396. 397. & ſequentibus.

Curatio. 23. Cùm omnis inflammationis curatio in eò conſiſtat maximè, præcipiente Galeno l. 13. meth. med. c. 2. & l. 2. artis curat. ad Glauconem c. 2. ut fientis adhuc adgrediatur inhibitio; factæ jam evacuatio: imò & doloris, urgentioris quippe, ſedatio; his ipſis quoque nobis

nobis ſcopis præſtitutis, tàm pleuritidis, quàm peripneumoniæ curationem feliciter abſolvemus.

24. *Diætam itaq; primò omnium tam in principio, quàm augmento, cæterisq; morborum temporibus ægris præſcribendam cenſemus talem, qualem in anginâ præſcribendam monuimus.*

25. *Chirurgia mox initio eſt accerſenda. Secanda itaq; vena brachij Mediana vel interna lateris affecti, ubi ſi ſimul quantitate ſufficienti ſanguis educi nequeat, partitò id fiat; quod dum fit, ne ægros, ſæpius phlebotomo tangendo, inobædientiores noſtrâ nobis culpâ reddamus, vel venæ ſemel apertæ conſolidatio arte retardanda, quò poſtmodum eò commodiùs, & citra phlebotomon ſangvinis ad libitum iterari queat eductio.*

26. *Frictiones quoq;, ligationes, imò & ſanguiſugæ & cucurbitulæ in extremis partibus non negligantur, quò hiſce revulſioni ſedulò incumbatur. Repercuſſio namq; propter vicinitatem Cordis, locum hîc minimè habere poteſt.*

27. *Intus verò inflammationis mitigatio pertentetur illis, vel ſimilibus medicamentis, quæ ſuprà diſputatione de catarrho th. 25. & de tuſſi theſi 24. fuëre numerata: vel etiam Sulphure vitrioli cum Syrupo violarum vel etiam decocto papaveris erratici, ineatur.*

28. *Magna ſi cacochymia in corpore ægroto reſtagnet, ſectâ venâ, ſecundo vel tertio die ſaburra*

corporis blandioribus educatur medicamentis, infuſo Rhabarbari, Mechoäcæ, Agarici, fol. ſenæ, (fæculentum illud & Mortæ hic dicatum Scammoneum & Colocynthis officinarum vitentur) in quibus tantum Mannæ Calabrinæ q. ſ. diſſolvatur. Chymica ſi voles, Ext. Rhabarbari, Mechoacæ, fol. ſenæ, Eſſentia ſcammonei ritè præparata, Ol. Rhabarbari &c. ſingula pro diverſitate humoris peccantis convenientibus decoctis pectoralibus reſoluta, præſtò ſint.

29. *In ſtatu & declinatione detergentia, expectoratumq; promoventia, qualia in ſuperioribus de Aſthmate & Tuſſi fuêre propoſita, ex uſu erunt.*

30. *Nec tamen interim vel initio quoq; negligenda illa, quæ totâ ſubſtantiâ pleuritidi & peripneumoniæ contrariari obſervatum fuit: ſuntq; talia, Sem. Card. Mariæ, cardui benedicti, ramentum dentis apri, priapi cervini, oculi cancri, lapilli percarum, mumia, ſperma ceti, rad. piloſellæ, fol. ſcabioſæ vel ſucciſæ, ſem. papaveris erratici & fol. ejuſdem, pulv. viſci quercini: vel etiam ſalia ex horum aliquibus præparata. Præſens quinetiam auxilium hic præſtant Ol. & flores atq; rubinus ſulphuris.*

31. *Spuriæ pleuritidi, ni ſubſit plethora vel cacochymia, quæ ſui ſublationem præmittendam indicent, vel ſola fomenta anodyna, flatusque vel humores pituitoſos diſcutientia, ex ſententiâ*

quoq;

quoq; Hipp. libris de v[illegible]. acut. plurimis in locis, medentur. Quibus tamen ni abſolvatur, ſuppurantibus materia ad evacuationem deducatur, dehinc ulcerum more percuretur.

32. *Vbi monendum arbitramur, unctiones, quibus pleriq; practicorum in verâ quoq; pleuritide & pripneumoniâ utuntur, rectius ad ſpuriam accommodari: quippe quod in illâ, thoracem laxiorem reddendo fluxionibus illum magis obnoxium reddant; tum etiam oleoſitate ſuâ citò inflammabili majoribus inflammationibus anſam præbeant.*

Diſputatio XII.

DE EMPYEMATE ET PHTHISI;

In qua Reſpondebat.

MATTHÆVS BACKMEISTErus, Roſtochienſis.

7. Calend. Martij Anno 1603.

Thesis I.

Pleuritidem & Peripneumoniam ſæpiuſculè in Empyema & Phthiſin degenerare, & unanimi Medicorum claſſicorum comprobatione, & experientiæ cotidianæ adſtipulatione notum eſt: de prioribus itaque proximis cum à nobis

actum fuerit: poſteriorum diſquiſitionem nunc aggrediemur.

2. Ἐμπύημα, *Latinis interdum ſuppuratio, interdum vomica appellatum quod ſpectat: dupliciter ab Hippocrate, Galeno, cæteriſq; id genus melioris etiam notæ ſcriptoribus, illud dicitur. Primum n. pro omni ex inflammatione vel tuberculo ſuppuratione accipitur: quod quidem videre eſt apud Hippocratem l. 1. prognoſt. §. 40. l. 2. progn. §. 8. l. 3. Epidem. ſect. 3. §. de ſtatu Peſtilenti, l. 5. aph. 8. l. 7. aph. 41. & paſſim alibi, ſic & Galenum in comm. prædictorum locorum. Celſum item l. 3. cap. ult. Cælium Aurelianum l. 5. chronicarum paſſ. c. 2. Aretæum l. 1. Chron. paſſ. c. 9. Deinde in arctiori ſignificatu pro ſolius thoracis pathemate auditur: quod quidem conſtat ex Hipp. l. 1. de morbis, Galeno l. 5. aph. 15. l. 6. aph. 17. l. 7. aph. 44. lib. 4. de cauſis pulſuum c. 9. lib. de tumorib. c. 3. Aretæ: l. 1. chron. paſſ. c. 8.*

Definitio 3. *Priori ſignificatu nunc miſſo facto; in poſteriori acceptione definimus Empyema collectionem purulentæ, vel etiam ſeroſæ materiæ in cavitate thoracis alterutrâ, vel utrâq;, tuſſiculam, gravitatem pectoris atq; anguſtiam inducentem.*

Differ. 4. *Hujus duæ videntur commodè ſtatui poſſe differentiæ, quarum una ſit Vera, pleuritidem, & peripneumoniam plerumq;; anginam & catarrhum interdum ſubſequens: altera Notha, ſeroſo nempe humore vel à capite, vel ab habitu corporis*

corporis leucophlegmatico ad haſce partes decumbente.

5. Conſimiliter & φθίσις, φθάν ſive tabes bifariam accipitur, ut ex pluribus Hippocratis & Galeni locis, præcipuè tamen 1. Epidem. comm. 2. §. 17. l. 3. aphor. 10. & 13. conſpicitur. Latè ſiquidem, quamlibet corporis extenuationem, febri ſive ſit comitatâ, vel etiam eandem ignoret, deſignat: ſtrictè verò, illam ſolummodò denotat, pulmonum ulcus quæ conſequitur, vide Galenum 3. aph. 10. 4. aph. 8. 7. aphor. 16. l. 1. de victu acut. §. 8. Celſum. l. 3. cap. 22.

6. Latiori illa nunc relicta, alteram ex mente Galeni, locis ſupra numeratis definimus, totius corporis extenuationem ob ulcera pulmonum, cum crebra tuſſi & febre lentâ.

7. Empyematis veri cauſæ procatarcticæ ſunt eædem, quas ſuprà pleuritidis & Peripneumoniæ produximus. Spurium ſive Nothum empyema, eaſdem cum hydrope & leucophlegmatiâ, de quibus in poſterioribus, cauſas agnoſcit. Προηγούμεναι prioris ſunt Pleuritis, Peripneumonia, Anginâve præcedentes ad ſuppuratum deductæ, pus in cavum thoracis effundentes, Gal. 2. Progn. §. 52. Sic & Catarrhus ſupernus, vel etiam ſanguinis thrombus hanc ipſam introducere poſſunt. Συνεκτικαὶ tandem ſunt, ipſæ purulentæ ſordities pulmonibus & fætore, Cauſæ.

 & acri-

& acrimoniâ ſuâ noxam inferentes: quas tamen omnes Senex noſter l. 1. de loc. in homine, ad tres revocare voluit; ad defluxum nempè, ad ulcus & ad confuſionem. Poſterius hydropem habet cauſam proëgumenam: unde ſeroſiores humores ſurſum ex abdominis ſpacijs regurgitantes, ſynecticam dehinc conſtituunt.

8. *Phthiſeos cauſæ procatarcticæ ſunt ferè eædem, quas ſupra in catarrho, anginâ, pleuritide & peripneumoniâ enarravimus; quibus ex Matthiolo l. 6. in Dioſc. c. 25. halitum felium adcenſemus. In proegumenon claſſe recenſentur hæreditas paterna, & tabida colli atq; thoracis diſpoſitio: morbi quinetiam præcedentes, quos modò in Empyemate repoſuimus.* Συνεκτικαὶ *tandem ſunt humorum acrium & rodentium catarrho huc devolutorum, & etiam à partibus adjacentibus in pulmones expulſorum copia; ſanguis item è venis diſruptis vel apertis ibidem grumeſcens & putreſcens, ſicq; dehinc exulcerans: quin & grando pulmonum hoc præſtitiſſe obſervatum eſt. Videatur Hipp. 2. porrhet. l. 3. Epid. ſect. 3. l. 3. aph. 13. l. 2. de morb. Gal. l. 1. ſimpl. fac. c. 1. l. 1. diff. febr. c. 2. Ariſtot. l. 4. problem. 7.*

Signa. 9. *Signorum alia futuro Empyemati, alia præſenti jam, ab Hippocrate cæteriſq; medicis ſunt dicata. Futuri quidem hæc ſunt, quæ ab antegreſſis depromuntur: Morbi ſpiritalium partium,*

præci-

præcipuè pleuritis & peripneumonia, imò quoque angina; ſi neque ſubductione ventris, neque phlebotomiâ terminum aſſequantur: præſentis verò ex actione læſâ, reſpiratione nempè difficili, pulſu rariori, debiliori & tardiori, tuſſi perpetuâ: doloris proprietate, gravante, qui quidem in imo thorace ad diaphragma potiſſimum ſentitur, ubi & fluctuatio, quam ὑδαλισμὸν nominarunt, percipitur; idq́; maximè, ſi decubitum repentè immutet æger: excretis, purulentis & fœtidis: qualitate & faciei, & totius, immutatâ, macilentâ, oculorum cavitate, & rubedine in hiſce, uti quoque genis, per intervalla, imprimis v. tribus quatuorve horis poſt cibum efflo- reſcente, ungvium curvaturâ, &c. & tandem conſequente febri lentâ & hecticâ, quæ maximè noctu ingraveſcit. Plura huiusmodi ſigna indagare liceat ex Hippocrate l. 2. pronoſt. §. 52. & ſeqq. l. 1. aphor. 12. Galeno 1. de ſpirandi diff. c. 17. l. 3. Epidem. ſect. 2. §. 4. lib. 4. de loc. aff. c. 7. & 8. Nothi Empyematis indicia ex habitu totius leucophlegmatico, vel hydropico colliguntur.

10. Phthiſin adfuturam indicant eadem, quæ antea de Empyemate ſunt enarrata: & præter illa, nativa quædam pulmonum imbecillitas, natalibus propagata; inſuperque cum Phthiſicis propinquior & familiarior converſatio. Præſentem arguunt & illa, antecedenti theſi enumerata; & hæc quoq; ſequentia, facies ad Hippo-

craticam jam manifeſto declinans, livida, poſt cibum tamen rubore genarum delinita, ſcreatu ejecta fœtida, præſertim prunis injecta: conſequitur extremarum inflatio, præcordiorum convulſio, ſudoris per ſomnum facilima profluxio: imminentem jam mortem præmonſtrant portiunculæ pulmonum expectoratæ, capillorum defluvium & alvi profluvium.

11. Periculi plenus eſt hic morbus, atq; diuturnus, in quo robuſti ferè tantùm evadunt, dicente Galeno l. 5. de locis aff. cap. 3. proinde ni medicamentis ſymptomata reddantur mitiora; prognoſi ferè relinquendus: in phthiſin namque degenerat: ſic etenim docebat Hippoc. l. 5. aph. 15. Qui ex pleuritide Empyi fiunt, ſi à ruptione Empyematis intra dies 40. repurgentur, liberantur, alioqui in tabem tranſeunt. Sin verò mox ruptâ vomicâ, expectoratoque feliciter ſuccedente, febris cateraque ſymptomata decreſcant, appetentia, ſecedente ſiti, redeat, concocta undique dejiciantur, ſalutis ſpes affulgere videtur, quod patet ex Hippocrate & Galeno l. 2. prognoſticorum §. 60. & ſeqq.

12. Phthiſis chronica maximè eſt affectio, & plures etiam ad annos prolongari viſa eſt, morborum niſi acutorum ſit progenies: tum namque intra paucorum dierũ ſpacium plurimùm interimit. Hipp. l. 5. aph. 10. Inveterata quidem hujus ulcera immedicabilia rectè cum Galeno l. 4. de loc.

loc. aff. c.8. l.5. meth.med. cc.8. 11.& 14. aliquis dixerit; non tamen de omnibus parili id verita-te prædicabitur: cum & ipſius Hippoc. lib. 2. de morbis; & Galeni tum loco citato, 5. meth. c. 8. tum etiam ejusdem libri c.15. l. 7. meth. c. 6. & maximè recentiorum Savanarolæ, Valeſci de Taranta, Thomæ Eraſti, Franciſci Valleriolæ & aliorum obſervationibus contrarium reipsà demonſtratum ſit: de Iatrochymicis interim ne quicquam dicamus.

13. Autumnus tabidis malus, Hip. 3. A. 10. uti etiam Ver, 6. Epid. 7. 12. Aetatibus quinetiam à 18. ad 35. tabes infeſta. Hipp. 5. aph. 9. Qui tabe vexantur, ſi ſputum quod extuſſiunt, carbonibus injectum malè olet, & capilli defluunt, pernitioſum ſignum, l.5. aphor. 11. Quibus per tabem capilli defluunt, iis fluxione alvi ſuperveniente in propinquo mors eſt, l. 5. aphor. 12. Si tabe detento profluvium alvi ſuperveniat, pernicioſum, l. 5. aph. 14. A puris ſputo phthiſis & fluxio: cum verò ſputum retentum fuerit, moriuntur, lib. 7. aphor. 16.

14. Curationem Empyematis veri in expectoratione puris totam eſſe repoſitam, certum eſt: quæ quidem diætâ, pharmaciâ, & rarius chirurgiâ perfici ſolet. Notham hinc ad ſuam ſedem, hydropem nempe remittimus. Curatio.

15. Diætam quod ſpectat, hanc exſiccantem, attenuantem & detergentem eſſe omninò neceſſum eſt: quibus tamen humectandi & lubri-

candi

candi facultas vel arte, vel naturâ, minimè deſit. Imò & temporum morbi ſedula habenda eſt ratio: namq; inflammatione adhuc ſæviente, & vomicâ nondum diſruptâ, moderatioribus, & ſuppuratum promoventibus inſiſtendum: cibandumque parciſſimè. Unde vel alica, vel cremor & ſuccus ptiſanæ ſola etiam ſufficerent, ni aliquid & conſvetudini inſuper dandum eſſet. Iuſcula dehinc gallinarum, caporum, lac amygdalinum, idq; genus ſimilia haud inutilia erunt, Tandem volatilium carnes ad tabem uſq; cum hyſſopo, aſparago, marrubio, veronica, ſcabioſa, capillis ♀, Rad. Iridis, glycyrrhizæ, &c. decoctæ, bono cum ægrorum, præbentur.

16. Potus ſit principio decoctum ptiſanæ, cui ſemine cardui Mariæ vis medicata evidentior acceſſerit, ſaccharoque cando roſato violatove dulcoratum; hydromeli remittente febri conceditur. Ex conſvetudine v. ſi quis à cereviſiis abſtinere noluerit, hæ ipſæ medicatæ bibantur. Fient tales fermentatione cum herbis, hyſſopo, capillaribus, ſcabioſâ, radicibus benedictæ Caryophyllatæ; vel quoq; ſpirituum ex enumeratis, arte Chymica elicitorum, affuſione: ubi perpetuò hoc tenendum, actu calida hæc cuncta offerenda.

17. Somnus ſit moderatus, vigiliæ & lucubrationes, tanquam peſtis evitentur: Motus ſit nullus vel perquam exiguus: in quiete corpus detineatur: idque omne in aëre temperato, puro ad

ſiccius

ſiccius modicum declinante. Animi pathemata, uti & Veneris luſus exulent.

18. Pharmacia, poſthabitis medicamentis validè purgantibus, initio lenioribus, quæ ſunt ſyr. violarum, glycyrrhizæ, &c. dehinc validioribus bechicis, ſupra in Aſthmate, pleuritide & peripneumoniâ enarratis tranſigatur.

19. Quod ſi tamen magnæ Cacochymiæ in corpore metus ſit, hæc ipſa blandioribus pharmacis, infuſo agarici, fol. ſenæ, Rhabarbari, &c. in quorum colatura Caſſia, Manna aut tale quid diſſolutum, tranſigatur: vel etiam Clyſteris injectione imminuatur.

20. Ubi tamen quoque obſervandum, naturam operantem ut imitemur. Hæc enim ſi per alvum purulentam deijcere incipiat materiam, dejectorio adjuvanda: per ureteres expellere ſi ſatagat, diureticis via liberior ſternenda: tuſſiendo ſi ſuum exequatur munus, expectoratio promovenda: in quibus tamen omnibus motus Criticus & naturalis à ſymptomatico ſummâ curâ diſcernendus.

21. Topicis quinetiam ſuum relinquimus locum, quæ initio ſuppurantia mixtis anodynis convenientiſſima erunt: dehinc vel blandè aſtringentia, vel prorſus nulla ſunto, ne relaxantibus muſculi thoracis enerventur, & puris ſcreatu expulſio, langvidâ horum vi, ſupprimatur.

22. Chirurgiam hîc aliam vix admittimus, quàm

quàm quæ & ab Hipp. Gal. Aëtio, Aegineta, Arculano, & Neotericis quoq; Benedicto Veronenſi l. 9. c. 26. Amato Luſitano cent. 1. curat. 61. proponitur; nimirum ſcalpello, ſtylo, vel cauterio in muſculis intercoſtalibus factam inciſionem. De loco controverſum eſt: alijs inter tertiam & quartam coſtam, alijs inter quartam & quintam hoc fieri debere præcipientibus. Nos dicto Hippocratico, quò natura vergit, eò ducere oportet, admoniti, hanc imitando vel priorem, vel etiam poſteriorem inciſionem, cæteris fruſtra tentatis, & magnâ puris copiâ in thorace fluctuante aggrediendam arbitramur: ſin tamen æquabilitas hîc ſeſe offerat, inter tertiam & quartam coſtam quæ peragitur, alteri præferimus.

23. Curatio Phthiſeos ſimiliter diætâ, pharmaciâ & Chirurgiâ peragitur. Diætâ quidem, priori haud multum diſſimili; illud dummodò notetur, cauſarum impetum prius inhibendum, abſtergendum, ſarcoticis dehinc ulcus occludendum, febrim contemperandam, & maraſmodem corporis conſtitutionem εὐχύμοις reſtaurandam: ac proinde pro diverſitate harum indicationum & indicata immutanda.

24. Aër itaq; quantumvis temperatè calidus itidemq; ad ſiccum leviter declinans hîc maximè ſit conveniens; tamen ſi hectica implicita magis urgeat, ita ut in febri hectica ſuperius fuit præ-

ſcriptus,

ſcriptus, inſtituendus. De cibis eadem eſt ratio: pro eductione namque puris, qualiter in Empyemate factum, diætandum: dehinc ſolidius nutrimentum ſuggerentibus inſiſtendum: de quibus omnibus & in hac ipſa, & in diſputatione de hectica, prolixius actum fuit. De lacte hoc monemus, (quo ferè ſolo phthiſicos curari poſſe aſſerunt, adhibitis & cautionibus illis, quas ſupra de hecticâ præſcripſimus) principio quidem calidum ab uberibus emulctum, ſacchar̃o violaceo modicùm dulcoratum exhibendum: muliebre quidem, ſi haberi poſſit, reliquis præferendo; ſin minus, caprinum; poſtmodum tamen exterſo ulcere, vel penitus hujus uſum intermittendum, vel ſaltem iſtud eousq; coquendum, donec abſumpto ſero caſeoſæ ſolæ partes reſtibiles ſint: vel ſaltem ſilicibus aut chalybe candentibus in eo extinctis hoc ipſum ſupplendum.

25. *Eductio puris, ulcerisq; abſterſio feliciter iiſdem medicamentis abſolvitur, quæ antea in aſthmate, pleuritide &c. fuerunt enumerata; dummodo propter hecticam, iſtorum calor, permiſtione conſervæ violarum aut roſarum mitigetur.*

26. *Conſolidatio ulceris, & plurimis aliis hinc inde apud Practicos occurrentibus, qualia ſunt Conſerva roſarum vetus, conſ. ſcabioſæ, Veronicæ, &c. & præcipuè Rubini ſulphuris gutt. iij. dietim horis matutinis in aquâ Roſarum, ſcabio-*

ſcabioſæ, veronicæ, aliave convenienti exhibitione, obtineri poterit: Rubino etenim Sulphuris putredinem arcendi; imò lacunulas pulmonibus per putrilaginem jam inductas reficiendi vim ineſſe & Hippocratis, Galeni, Dioſcoridis, aliorumque vetuſtiorum nos docuit authoritas; & recentiorum, præcipuè Magni illius Theophraſti experientia comprobavit.

27. *In reſtaurantibus varia ex carne caponum, cancrorum fluviatilium, cochlearum, teſtudinum nemoralium, aliorumque animalium Vulcani Chymici adminiculo deſtillata, à plurimis commendantur: quibus & nos ſuum meritò honorem deferimus.*

28. *Chirurgia hic alium haud agnoſcet uſum, quàm ubi maxima puris copia in thorace reſtagnans, non niſi thoracis perforatione educi poteſt, de qua jam antea dictum.*

Diſputatio XIII.

DE SYNCOPE ET PALPITATIONE CORDIS;

Quam

Exercitij cauſâ defendendam ſuſcipiebat

BERNHARDUS OLDERMAN Roſtochienſis.

THE-

THESIS I.

IN medio quantumvis ſtipatorum, ut Plato in Timæo dicebat, cor ſedem locarit: à variorum tamen morborum inſultu haud poteſt immune perſiſtere: nos verò reliquis jam poſthabitis, de Syncope & Palpitatione cordis hac vice nobis agendum arbitramur.

2. *In functionibus etenim cordis cum non poſtremum Sphygmica ſibi locum vendicet; hæc itidem uti cæteræ omnes, tripliciter oblæſione præternaturali, Abolitâ nempe, Diminutâ aut Depravatâ inceſſitur.* ἀσφυξίαν *priorem,* κακοσφυξίαν *poſteriores liceat dicere.*

3. *Abolitus namq; eſt in Syncope pulſus; in Lipothymiâ diminutus; in palmo, depravatus: uti ex ſubſequentibus manifeſtiſſimum evadet.*

4. *Syncope definiri poterit, præceps omnium virium lapſus, ob ſubitaneam ſpirituum ab extra in cordis penetralia concentrationem, vel etiam reſolutionem. Galenus l. 5. de loc. aff. c. 2. lib. 12. Meth. med. c. 5. li. 1. Art. curat. ad Glauc. c. 14. Averrh. 3. collig. c. 25.*

5. *Cognati huic affectus ſunt, & ferè à Practicis ſub Syncope comprehenduntur* ἔκλυσις, *quam animi deliquium dicunt;* λειποψυχία *ſeu* λειποθυμία*: à quâ tamen vel illo quoq; differunt, quod, docente Galeno l. 1. ad Glauconem c. 14.* λειποθυμία τῆς συγκοπῆς *plurimum ſit prodroma:*

illiusq; adeò imperfectio quædam conſiſtat: tum quod in Syncope omnium ſit facultatum lapſus; in lipothymiâ verò ægri mente etiam ac cogitatione valeant: Philoſopho idipſum quoq; atteſtante lib. de ſomno & vigiliâ c. 3. Adhæc Aëtij ex obſervato l. 3. c. 101. quod ſyncope & dormientibus, quos καταφορουμένους *nominat, contingere ſoleat; lipothymia verò vigilantibus ſolummodò: Eodem modo Syncope correptos frigidum quoq; ſudare; quod tamen* ἔκλυσιν *vel* λειποθυμίαν *patientibus minimè uſu venire obſervatum eſt.*

6. Ad naturam palpitationis cordis diſquirendam priusquam progrediamur, monendum cenſemus, nos neutiquam & in ſuperioribus, & quoq; conſequentibus, arithmen & depravatam quamlibet arteriarum pulſationem; ſed illam dumtaxat, quæ in caloris fonte deprehenditur, accipi velle: quâ etiam ſignificatione Hipp. l. 3. Epidem. Aegr. 16. poſt ſtatum peſtilentem, Galenum l. 5 loc. aff. c. 2. & l. 2. de ſympt. cauſ. c. 2. uſos fuiſſe; manifeſtum eſt.

7. Unde tandem definimus Παλμὸν τῆς καρδίας *depravationem pulſatilis motus cordis ſubitaneam, ab aliena quâpiam ſubſtantiâ cor feriente atq; irritante introductam.*

Cauſæ. *8. Afficitur autem tàm diris hiſce vitalis facultatis officina affectibus, vel per* πρωτοπάθειαν, *primariam nempe cordis læſionem; vel per* δευτεροπάθειαν, *aliarum partium conſenſu.*

Πρωτο-

9. Πρωτοπάθειαν quidem, ſi intemperies ſive nuda, ſive copulata cum materia, cor exagitat: quæ ſi inæqualis ſit, & tetros de ſe vapores elevet, qui ipſam cordis ſubſtantiam ſubeuntes, facultatem viſceris, naturâ ſua robuſti, expultricem ſtimulent, quo altiùs inſurgens, vehementiori quodam niſu hoſtem depellere ſatagat; hinc tam præpoſteri & enormes in palmo reſultant motus: δευτεροπάθειαν verò cum vel in pericardio ſerum nimium redundans, imò interdum putridum, vel inflammatio, tumorvè in locis vicinis prognata, liberam viſceris dilatationem impediunt: vel malignus quidam vapor, ex ventriculi orificio, hypochondrijs, utero, aliáve corporis particula illud impetit.

10. Nativam autem, vel etiam adventitiam quandam imbecillitatem ſi cor contraxerit, πρωτοπαθείας nomine afficietur ab omnibus vehementioribus animi pathematibus, ſpirituum reſolutionem, vel ſuffocationem producentibus; quo pertinent lætitia, dolor, ira, vel mæſtitia, dum modum excedunt: δευτεροπαθεία infeſtabitur, malignis vaporibus ab orificio ventriculi, inteſtinis, utero, cæterisvè tetrum & venenatum quid interdum exſpirantibus, fontemq; vitæ impetentibus: quæ quidem omnia, pro intenſione vel remiſſione ſui, aut Syncopen, aut λειποθυμίαν efficient.

11. Τῶν προκαταρκτικῶν rationem hîc ſubeunt aër

ambiens nimis æſtuans, ſpiritusq́; vitales exhauriens, interdum etiam malignitatis quiddam obtinens: rarius intensè frigidus: cibi & potus corrupti, aut venenatâ qualitate imbuti: inedia: vigiliæ: motus immodicus, & in nonnullis in gyrum agitatio: Venus nimia: evacuationes & inanitiones mediocritatem excedentes, & demum omnia foris incidentia, quæ violentiâ pectus lædere, vel etiam affectus animi vehementius concitare ſunt diſpoſita: quæ quidem omnia, & plura etiam huc pertinentia videri poterunt apud Galenum l. 1. ad Glauc. c. 14. l. 12. meth. med. c. 7.

Signa. *12. In ſignis alia futuram atq; imminentem, alia præſentē jam decernunt ſyncopen. Futuram quidem, præſertim in ijs, ſyncopen qui perpeti aſſolent; anxietas quædam atq; animi perturbatio ſubito incidens, vertigo quinetiam atq; oculis alieni coloris obverſatio; colorisq́; faciei, itemq́; pulſus, iterata ſæpius immutatio; demonſtrant. Præſentem digito quaſi intendunt; ſubitus omnium facultatum lapſus, pulſus rariſſimus, formicans, obſcurus, tandemq́; abolitus: floridus faciei color in album, lividumvè immutatus: extremarum frigus, uti & ſudor, præcipuè in temporibus, collo, & thorace, frigidus: quæ tamen omnia in λειποθυμίᾳ multò ſunt remiſſiora, & ſudor inſuper nullus conſpicitur. Cauſarum verò ſigna ab antegreſſis facilè aſſequimur.*

Παλμὸν

13. Παλμὸν τῆς καρδίας vel tactu ſolo, nullâ cum difficultate aſſequimur. Manum namq; ſiniſtræ mammillæ adplicantes inordinatum hunc viſceris motum perſentiſcimus: qui tamen ſi vehementius incrementum ſumat, & oculis, & auribus adſidentium percipi valet: Arteriæ ſiquidem, præcipuè jugulares, validè micant; & cordis impetus in adjacentes coſtas tam validus, ut non ſolum adſidentibus; ſed & intervallo quopiam ab ægro remotis exaudiri queat; imò & coſtas fregiſſe, & illas, quæ mammis ſubſternuntur, de loco moviſſe obſervatum fuit.

14. Prognoſtica ex Hippocrate, cæterisq; probatioribus Medicis hæc obſervanda occurrunt. Prognoſtica.
Qui ſæpè & multùm abſq; manifeſtâ causâ exſolvuntur, ij derepentè moriuntur. l. 2. aphor. 41. Syncope quæ cordis, perniciosior eſt quàm quæ cerebri, & hæc quàm quæ hepatis ſequitur intemperiem. Paul. l. 2. c. 38. Si Syncope correpti caput in humeros aut thoracem delabatur, pulſus atq; reſpiratio aboleatur, facie colore livido, nigro, viridivè ſuffusâ, ſternutatoriumq; medicamentum fruſtrà in uſum vocetur; deſperata ſalus.

15. Palpitatio cordis Melancholiâ hypochondriacâ laborantibus familiare malum eſt: nonnunquam tamen & plethoricos poſt vehemens exercitium invadens: quod quidem ſi pluries, etiam menſibus aliquot, vel anno quoq; elapſo, recidi-

recidivam faciat, ante ſenectutem interimit, ut ad longum demonſtrat Galenus l. 5. de l. aff. c. 2.

Curatio. 16. Symptomatibus licet propriè curatio non debeatur; hîc tamen nobis propoſita cùm admodum ſint vehementia, partemque adprimè nobilem infeſtent, utique haud neglectim ea relinquenda. Alia itaq; paroxyſmi tempore, alia extra illum pro amolitione & præſervatione eorundem peragenda.

17. Tempore paroxyſmi ergo in omni ſyncope irroratio & quadam cum violentiâ aſperſio faciei, cum aqua fontanâ frigidiſſimâ, aquâ vel etiam aceto roſaceo commodiſſimè adhibetur; quorum tamen aliquibus vinum ſi generoſum admixtum fuerit, haud inconſultum fuerit. Naribus & temporibus affricetur balſamus nucis muſcatæ, Caryophyllorum, majoranæ, flor. tunicæ coronariæ, idq; genus alij, qui & manuum carpis magnâ cum efficaciâ adfricantur: cavendo tamen ab hiſce in ſyncope hyſtericorum.

18. Revulſionis etiam gratiâ commendantur, experientiaque comprobata reperiuntur frictiones, primùm mediocres, dehinc fortiores partium extremarum: ſimiliter & ligaturæ brachiorum atque crurum; Vellicationes aurium, nariumque; imò etiam pubis & partium genitalium; quæ tamen poſterior in Syncope uterinâ maximè locum habet. Sic & digiti contorſione dolorificâ ab adſtantibus tractari ſolent: nares

& os

& os conſtringi, ſternutamentúmque excitari.

19. Hæc autem revulſio in eâ potiſſimum Syncope, quam ſuffocatio Spirituum induxit, adminiſtranda eſt: in altera etenim, à reſolutione ſpirituum quæ dependet, haud ita magno cum ſucceſſu adhibetur. Convenientius enim in eâdem vinum odoratiſſimum, vel Malvaticum, ſive ſolum, vel aliis cordialibus, aq. Cinamomi diaborraginata, meliſſæ, Roſarum, oleo angelicæ, Enulæ, macis, corticum citri, Caryophyllorum, &c. præcipuè verò paucis auri potabilis guttulis, permixtum, ori inſtillatur, exemplo Galeni lib. 1. ad Glauc. cap. 14. lib. 12. Meth. cap. 5. ratione tamen cauſæ interim non poſthabita.

20. Calida enim ſi ſit eadem, frigidorum permixtione vini caliditas ad temperiem reducenda: contra in frigida, in qua & pectoris cum ol. Caryophyllorum, ſimilive, inunctio non penitus negligenda.

21. Extra paroxyſmum cauſarum ſedulâ ratione habitâ, pro harum diverſitate & cura, vel diætetica, vel Pharmaciâ, vel etiam Chirurgiâ adgredienda.

22. Diæta quidem, ægro aërem deſtinando purum, lucidum, temperatum, in qualitatibus tamen activis ad calidum vel frigidum, pro variâ cauſâ, leviter declinantem, turba aſtantium non

impeditum. Cibus & potus, ſint optima, vires citò reſtaurantia, quibus ſi cauſa oppugnanda, & huic accommodentur.

23. *Somnus modicus vigilijs præferatur: ſi tamen veneni ſuſpicio ſubſit, vigilijs aliquouſq; inſiſtendum, donec hujus malignitas remiſiſſe aliquid videatur; poſtmodum iteratis alexipharmacis ſuperdormiendum. Exercitia corporis, Venus animique pathemata penitus in exilium agantur.*

24. *Pharmaciam itidem cauſarum diverſitati ritè accommodabimus, ſi partis primariò affectæ ratione habitâ, huic medelam adhibeamus: orificio ventriculi quidem pravis humoribus referto, vomitorio; dehinc ſi dolor inſtet, anodyno, inter quæ Galenica ſunt præcipuè Theriaca recens, vel etiam Opij granis renovata; Spagyrica, Laudanum Opiatum plurimis modis hîc Theriacæ præferendum, Sulphur itidem Vitrioli priori haud multum poſthabendum.*

25. *A febribus ardentibus, inflammatione Epatis, morbis capitis, uteri, alijsve ſi dependeat, dictis morbis percuratis, & Syncope evaneſcet. Cacochymia quinimò ſi focum hic præbeat, convenientibus pharmacis hæc ipſa eliminanda: ubi tamen doſis exactiſſima eſt ſervanda, ne vehementia pharmaci Syncopen augeat, vel etiam Hypercatharſin movendo eandem Mortæ tranſmittat.*

Ple-

26. *Plethoricum ſi ſit corpus, hæc ipſa quam mox à paroxyſmo remoto minuenda, phlebotomo quantitatem ſanguinis ſufficientem; citra tamen deliquium, ſubtrahendo.*

27. *Similiter & in Palmo alia paroxyſmo, alia remotioni cauſæ dicata eſſe deprehenduntur medicamenta: In paroxyſmo quidem rectiſſimè foris adminiſtratur fomentum ex Meliſſa & borragine præparatum, quod incantamenti inſtar huic Symptomati mederi Foreſtus teſtatur. Intus v. vel aq. meliſſæ ſimiliſve Cordialis cum liquore perlarum, corallorum, aut ol. ſuccini, &c. exhibeatur.*

28. *Cauſa removebitur in primario Cordis affectu, ſi corpus plethoricum, phlebotomando; ſi Cacochymicum, purgando: dehinc ad partes ignobiles, iiſdem quæ antea th. 17. enarravimus, mediis, revellendo; à Melancholiâ tamen hypochondriacâ quia ut plurimum inferri ſolet; huic præ cæteris Venæ ſectio, attamen parcâ manu, principio Splenetica ſiniſtri brachii; & ſi neceſſitas flagitet, ejuſdem lateris quæ ad talum, adhibenda.*

29. *Pharmaciam reliquam, in confortando quæ occupata, iiſdem quæ antea theſi 18. 19. & 23. enumerata, perficiemus.*

Diſputatio XIV.

DE VITIIS CONCOCTIONIS VENTRICULI.

Publicè ad diem 12. Martij in Auditorio Majori propoſita in Academia Roſtochiana;

Quam tutabatur

IOANNES FRIDA
Oſnaburg. VVeſtph.

THESIS I.

CHylificationem, quæ in naturalis œconomiæ culinâ, ventriculo nempè; præcipuè ejus fundo, quem exinde Aqualiculum Seneca & Marcellus quoq; empiricus nominarunt, perficitur: non eſſe privatum munus; ſed ad totius corporis incolumitatem & conſervationem pernecesſariam, in confeſſo eſt. Unde liquet, cum tres in Microcoſmo celebrentur concoctiones, nihilq; juxta Galenum l. de ſuc. bon. & vit. c. 5. perfectè nutrire poſſit, quod has omnes non pertranſierit; quanta ex vitiosâ Chylificatione non tantùm ventriculo, ſed & toti corpori mala reſultent.

2. *Ut igitur tripliciter qualibet actio læditur; ita quoq; triplex ſeſe hic offert in ventriculi Chy-*

loſi

loſi ſymptomatum genus excutiendum, ἀπεψία videlicet, quæ eſt omnimoda concoctionis priuatio: Cruditatem aliàs hanc nuncupant: βραδυπεψία, quæ tarda & difficilis eſt concoctio: & Δυσπεψία, quæ ingeſtorum in alienam qualitatem eſt conuerſio, Gal. de diff. ſympt. c. 4. l. 3. ſympt. cauſ. cap. 1.

3. Notatu verò haud indignum arbitramur, quod & Galenus noſter l. 3. ſympt. cauſ. cap. 1. & l. de ſympt. diff. cap. 4. monuit, ἀπεψίας voce non ſolum totalem cruditatem, ſed & diminutam concoctionem indigitari.

4. Horum ſymptomatum cauſæ, docente Galeno ubi ſupra, ratione comprobante, ex facultatis concoctricis fruſtratione dependent: quæ fit, vel partis vitio, vel etiam errore externo. Cauſæ.

5. Partis quidem vitio, cum ea vel nudâ intemperie; aut etiam intemperie cum materiâ infeſtatur; vel huic ipſi organicum aliquod malum vitium afflat; vel tandem eam morbus ex ſimilari & organico compoſitus exagitat.

6. Intemperies autem ſine, vel cum materiâ, aut primò in ventriculo genitæ, aut viciniarum adiacentiumq; è partium, quarum adminiculo concoctionem fœlicius adminiſtrat ventriculus, aut totius ſympathiâ ortæ ſunt.

7. Frigida intemperies utplurimum bradypepſiam; & incrementum ſumens vehementius

apepſiam

apepſiam excitat: dyſpepſiam, acidi cum ructus emittuntur: Calida verò facilius dyſpepſiam, nidoroſosque ructus procreat. Unde liquidò effulget, bradypepſiam ſine dyſpepſia rariuſculè deprehendi. Sicca & humida intemperies, licet ex eorum numero ſint, concoctionem quæ lædunt; tardius tamen quàm reliquæ, & præ omnibus ſicca, id perficiendo eſt.

8. Intemperies porrò vel humores ſucceſſivè accumulant, vel ab ijſdem introducuntur, quippe quod utplurimum intemperiei, humor; calidæ quidem bilis flava, frigidæ pituita aut melancholia ſeroſior, vel copioſior ſint conjugata. Alter enim abſq; alterius conſortio diu haud perſiſtit.

9. Nec leve quoque concoctionis vitium conſequitur humores, vel fluctuantes in ventriculo, vel tunicis infixos, cùm præter intemperiem, quam induxerunt, prohibeant, quo minus undiquaque cibus à ventriculo incingatur: quod itidem & flatus, cibum ſuſpendentes, præſtare poſſunt.

10. Morbi organici concoctionem impedientes ſunt ſtomachi paralyſis, inflammatio, abſceſſus, ulcus, tumor.

11. Error externus conſiſtit, atteſtante Gal. l. 5. de loc. aff. c. 6. lib. 3. ſympt. cauſ. cap. 1. lib. ſympt. diff. c. 4. in alimenti quantitate, qualitate, intempeſtiva aſſumptione, ordine præpoſtero, vitæ ratione & extrementis. Si enim tanta cibi potúsq;

potuſque quantitas demergatur in alvum, ut huic ſubigendo ventriculi facultas impar ſit; vel ſi non adeò ingens copia; ſed quæ tamen facultati rebellis eam aggravet, difficilimè concoctio perficitur.

12. *Qualitas ingeſtorum concoctioni reluctans eſt vel nativa, vel aſcititia, quarum illa eſt eorum; quæ naturâ talia ſunt, ut calori noſtro minus obœdiant; velut uvarum acini, quos gygartas dicunt; vel ſuperantur quidem à calore noſtro; ſed ingenitâ propenſione in nidorulentam, aut aliam quandam materiam faceſſant. Hæc eſt ciborum; qui ob permiſtionem inconvenientem, vel cocturam nimiam, aut modicam, facilè in alienas qualitates degenerant. Hunc ad modum multa propter aëris vitium, loci conditionem, temporisve diuturnitatem; ſemina putredinis contrahunt, à quibus facilè, dum concoctioni parere debent, in indicibilem & alienam abeunt corruptionem.*

13. *Ordo ciborum concoctioni officit, quando primùm coctu difficilia & dura; dein tenera, coctuque facilia ingeruntur: vel ante perfectam prioris cibi concoctionem novus ſuperaſſumitur: vel à paſtu aqua præter conſvetudinem; uti & quivis potus; imò & medicamenta concoctionem quæ promovere creduntur, ventriculo obtruſa. Sic & ciborum varietas δυσπεψίας cauſa ſæpiuſculè efficitur.*

Nec

14. *Nec parum momenti hîc vitæ ratio habet, ſub quâ Venus pleno ventre, motus immoderatus, vigiliæ nimiæ, curæ, ſtudia, balnea immoderata & alia comprehenduntur, quorum pleraq; à Galeno & locis ſupra citatis, & quoq; l. 3. Epid. comm. 3. §. 3. recenſentur.*

15. *Excrementa in ventriculum irruentia ſunt bilis ex Epate, præſertim ijs, qui ex perverſo naturæ ordine ductum ex felle in ventriculi fundum obtinuerunt; melancholicus humor nimius ex liene; pituita è cerebro demiſſa; aliiq; humores, qui ob jejunium à ventriculo attracti: ſic & menſtrui fluxus circa primos menſes prægnantibus regurgitantes.*

16. *Frigidam ventriculi intemperiem inducunt ingeſta tam actu, quàm potentiâ frigida, in muniendo ventriculo ab ambiente frigido negligentia, Venus & vigiliæ nimiæ, mala victus ratio, pituita deſuper ventriculum irruens. Contraria hiſce, calidam inducunt dyſcraſiam. Humida & ab ambientis conſtitutione Auſtrali, & à victu cooperante, & à catarrho horſum incumbente excitatur. Sicca, febres, æſtus, vigilias, ſimilesque id genus cauſas habet.*

17. *Ex vicinarum, aliarumque partium conſenſu tam qualitas, quàm materia communicatur. Si enim jecur, cæterave partes, frigiditate, ſcirrho vel inflammatione, laborent, materiam, vel qualitatem pro affectus ſui conditione ventriculo impertiunt.*

Signa

18. *Signa calidæ intemperiei ſine materia ſunt* Signa. *ſitis, fumoſa & nidoroſa eructatio; frigidorum appetitus, & ex eorum uſu delectatio, ciborum tenerum & coctu facilium in nidoroſam quandam qualitatem converſio. Materia ſi adſit, præter jam dicta, infeſtant amaritudo linguæ, mordicatio oris ventriculi, interdum febris, non rarò ejus humoris vomitus & ſingultus conſequitur.*

19. *Frigidam intemperiem denotant ructus & flatus, qui ſi materia adſit, acidi evadunt, ſitis nulla, coctionis tarditas, nauſea, calidorum appetitus, cruditas, pro ratione exceſſus.*

20. *Humida vel ſicca intemperies, ſolæ licet rarius inveniantur, ſi tamen adſint, cognoſcuntur, quod hæc totius ſiccitatem, illa ventriculi reſolutionem, ſputationem frequentem, utraque concoctionis difficultatem invehat. Uberiora ſingularum intemperierum ſigna apud Practicos proſtantia huc accommodare, uti & organicorum morborum indicia, cuivis liberum relinquimus.*

21. *ἀπεψίας ſigna ex ructu, etiam poſt aliquod horarum ſpatium, ipſam ciborum aſſumptorum qualitatem repræſentante: vomitu interdum ciborum incoctorum, nonnunquam lienteria, colliguntur: adeſt quinetiam capitis gravitas, ſomnus turbulentus, imò & ipſum corpus fruſtratam ob concoctionem contabeſcit. βραδυπεψίαν arguit, ventriculi à flatib9, ad plenariam*

uſq;

uſq; ciborum concoctionem, diſtenſio: ructus & odor, poſt plures etiam horas, ciborum aſſumptorum, palatum feriens. Δυσπεψίαν ructus fœtidi, acidi, nidoroſi vel aduſti arguunt: quos ſæpiuſculè comitantur rugitus ventris, nauſea, mordicatio.

Prognoſt. 22. *Primæ licet concoctionis vitia plurimorum ſint morborum ſcaturigo; præcipuè tamen in cardiogmum, animiq; everſionem prolongati præcipitant, nec rarò febrim caliditas ſine vel cum materiâ, ſociam & comitem ſibi adſciſcere ſolet.*

23. *Intemperies calida & frigida, faciliores; humida & ſicca difficiliores curatu exſiſtunt: Gal. l. 7. meth. c. 5. inter quas ſicca inprimis leve haud negotium faceſſit; quandoquidem aſtruente Galeno l. 7. meth. c. 5. id ſit ea in ſanis, quod ſenium in ægris. Licet verò calida & frigida intemperies citius ad nativam εὐκρασίαν revocantur; parili tamen cum facilitate hoc ipſum haud perficitur.*

24. *Concoctionis difficultas omnis mala: vitium namq; primæ haud emendatur in ſequentibus. Pejor tamen in ſenibus, utpote quorum calor debitis facilè obruitur atq; extinguitur.*

Cura. 25. *Curatio in legitimo rerum non naturalium uſu, & medicamentorum exhibitione, adhibitioneq; conſiſtit. Quod igitur ad diætam attinet, cibi & potus conſideranda eſt ſubſtantia, qua-*

qualitas, quantitas & aſſumendi tempus atque modus. Pari modo de alvo laxâ, veneris neglectu, ſomno & vigiliâ, animiq; affectibus moderatis eſt proſpiciendum.

26. *Nuda ægrum quando infeſtat intemperies, victus & medicamenta contrariæ qualitatis erunt. Semper etenim ex præſcripto Galeni lib. 7. meth. med. c. 3. pro eo, quod exſuperat, inducendum eo usq; contrarium, quoad particula in ſymmetriam & naturalem habitum redierit. Dehinc corroborantibus utendum: in quorum commiſtione Cordialium adpoſitio, ob regis in Microcoſmo vicinitatem, neglectim minimè habenda.*

27. *Humorum colluvies ſi in ventriculo ſpontè, vitioque proprio ſit congeſta, vel vomitione evacuabitur, ſi æger ad vomendum pronus ſit, humorque vel naturâ, vel arte vomitu educibilis: vel purgatione, talibus exhibitis, quæ primas vias facultate ſuâ purgatrice non tranſcendant, quorum materiam omnium practicorum libri; tum etiam Galenus l. 8. κτ͂ τόπȣς c. 2. nobis ſuggerunt. Quod ſi aliundè in ventriculum confluant humores, pars mittens curanda, recipiens confortanda, ne ſentinam humorum illabentem adeò promtè admittat.*

28. *Confluentes porrò ad ventriculum humores cum vel à toto procedant, idq; in habitu corporis aut plethorico, aut cacochymico; vel à parte quapiam, conſuetâ nempè hujus utplurimum*

 evacua-

evacuatione ſuppreſsâ: phlebotomiâ, purgationéve huic occurrendum: imò & revulſionibus, & derivationibus naturalium fluxionum facilitas reſtauranda.

29. *Ventriculus ad averſandos fluxionum impetus munitur, ſi ijs, quibus exundavit, humoribus vacuus, in naturalem temperiem reducatur, & aſtringentibus, pro diverſitate intemperiei combinatæ, vel calidis, vel frigidis, corroboretur: quorum ſylvam & in theſibus de Dyſenteriâ, & alibi paſſim apud Practicos videre licet: tum & in ſubſequentibus de cæteris ventriculi affectibus proponentur.*

30. *Alimentorum multitudo, ordinisque ratio in aſſumendo præpoſtera cruditatum ſi fuerit progenitrix, aut vomitu cacochymia exinaniatur, aut is ſi inconveniens ob cauſas ad longum ab Hipp. lib. 4. aphoriſmorum pluribus in locis commemoratas, inſuperq; materia deorſum vergere videatur, clyſtere vel glande alvo prius ſollicitatâ, blandioribus dehinc purgantibus è corpore exigatur. Alimenti namque corrupti nulla in integritatem debitam eſt reverſio.*

Diſpu-

Diſputatio XV.

DE NAVSEA, VOMITU, ET SINGULTU.

Ad quam reſpondebat

PAULLUS DESIDERIUS FOSSIUS Danus.

THESIS I.

PLures licet in Chyloſi perficiendâ ſeſe proferant facultates, & ex ſingularum læſione varia quoq;, eaq; diverſiſſima reſultent Symptomata: nobis tamen præ reliquis, ad ea, quæ proximis pertractavimus de ἀπεψίᾳ, δυσπεψίᾳ, βραδυπεψίᾳ; nunc de Nauſeâ, Vomitu atq; Singultu, finitimis quippe affectionibus, adnectere, haud incongruè, & noſtro à propoſito non alienè factum videtur.

2. *Sunt hæc tria ejuſdem facultatis, Expultricis nempe Ventriculi, Symptomata: is enim dum rebus à noxijs excitatur; motionibus hiſce præternaturalibus à violentiâ hoſtili ſe vindicare adnititur.*

3. *Nauſea itaque, quam alij Latinorum Faſti-* Definitio.
dium, nonnulli Subverſionem ventriculi dixerunt: Græci ναυτίαν ἢ ναυσίαν, *nonnulli* ἀνατροπὴν, *quidam* ἀποσιτίαν: *ex mente Galeni definimus*

 irritum

irritum & ſterilem vomendi conatum; plerumq; tamen ichoroſi, pellucidique humoris ex ore profluvio comitatum, ab intemperie cum materiâ introductum, vide Galenum l. 5. loc. aff. c. 6. lib. 1. Epid. ſect. 1. §. 18. l. 6. Epid. ſect. 8. §. 1. lib. 4. aph. 17. l. 6. aph. 3. lib. 8. κτ̀ τόπȣς c. 3.

4. *Vomitus* ἔμετος, *eſt præternaturalis ventriculi in capacitate contentorum per ſuperiora expulſio. Gal. l. 5. uſu part. c. 4. l. 2. de cauſ. ſympt. c. 3. l. 3. cauſ. ſympt. c. 2. l. 3. fac natur. c. 1. l. 2. fac. alim. c. 20. l. 8. κ. τόπ. c. 3. l. 6. aph. 39.*

5. *Singultus* λύγξ ἢ λυγμὸς *eſt motus ventriculi convulſivus à vitioſâ vel quantitate, vel qualitate ipſis ventriculi tunicis impreſſâ trahens originem. Hipp. l. 5. aph. 3. 4. & 59. l. 6. aph. 13. & 39. l. 7. aph. 3. 10. & 17. Gal. in commentarijs prædictorum aphoriſmorum, lib. 4. vict. acut. 69.*

Differ. 6. *Differentia propoſitorum ſymptomatum & à loco affecto, & à vehementiâ ipſorum, & quoque à cauſâ deſumitur. Loco quidem, cum vomitus contenta vitioſa in cavo ventriculi, ut & antea dictum, conſequatur: nauſea verò ſi illa vel tenacius ventriculi parietibus adhærentia vomitu educi nequeant, vel ſaltem orificium hujus obſideant: Singultus autem penitius ventriculi tunicis, ſive in orificio, ſive in ipſius ſubſtantia id eveniat, impacta comitetur. Quod quidem videre eſt apud Gale. 6. Epid. ſect. 5. §. 30.*

Vehe-

7. *Vehementiam itidem in Nauseâ quàm in reliquis minorem adeſſe in aperto eſt, quippe quod hæc vomitus perpetuò ſoleat eſſe prælu-dium, teſtante Gal. l. 2. ſympt. cauſ. cap. 14. licet is haud ſemper ſuccedat. Gal. 1. loc. aff. c. 4.*

8. *Cauſarum etiam ratione invicem diſtare non minimum videntur, cum ſingultus teſte Hippoc. l. 6. aph. 39. & à repletione, & ab inanitione proveniat; nauſea verò & vomitus ſolam ferè repletionem pro causâ Synecticâ agnoſcat.*

9. *Fiunt porrò hæc Symptomata aut Cauſæ ἰδιοπαθείας aut συμπαθείας ratione.*

10. Ἰδιοπαθείας *quidem, Singultu nimiam à ſiccitate productam inanitionem; nonnunquam etiam vaporoſam aut humoroſam repletionem conſequente. Gal. l.6. aph. 3. & 4. Nauſeâ tamen & vomitu nunquam non materiæ vel per congeſtionis, vel per affluxionis modum coäcervatæ præſentiam requirentibus. Gal. l. 8. κτ̀ τόπες c. 3.*

11. Προηγούμεναι *hujus cauſæ ſunt quævis ventriculi intemperies, concoctionis munia depravans vel impediens, quo de in ſuperiori de* ἀπεψία, δυσπεψία, & βραδυπεψία *diſputatione pluribus actum: vel etiam nimia ipſius ſtomachi ſenſibilitas.*

12. Προκαταρκτικοῖς *adcenſeri debent Aër ambiens, in qualitatibus, præcipuè activis nimium diſtemperatus, aut quoque malignitate quapiam imbutus: cibi conſimiles, vel in putrilaginem*

 proni,

proni, imò & ἀντιπαθείᾳ atq; ἰδιοσυγκρασίᾳ quapiam occultiori ventriculo adverſantes: ſic etiam nimia ciborum atq; potuum ingeſtio, & ingurgitatio. In quibusdam etiam jejunium, præſertim ſenſili admodum ſtomacho præditis. Gal. 5. aph. 50. 3. Sympt. cauſ. c. 20. Quibus addere licet aſpectum rerum terribilium, gyrationis motum & navigationem. Hipp. l. 4. aph. 14.

13. *Συμπαθείᾳ verò excitantur aut à cerebro, membranis hujus vel à cauſis internis, vel etiam violentiâ externâ, inflammatis: vel ab hepate ſimiliter inflammato: vel à liene, utero, hæmorrhoidibus ſuppreſſis, volvulo: in quibus omnibus aut minera quædam reſoluta ad partes ventriculi demandatur, aut quoque vapor quidam acris, interdum malignus & arſenicalis, easdem impetit: ſicque pro diverſitate agentis & patientis, hæc quoque ſymptomata diverſa producit. Gal. l. 5. aph. 58. l. 7. aph. 17. l. 1. Prorrh. §. 10. l. 3. loc. aff. cap. 7. lib. 8. κ. τ. cap. 3. lib. 6. aph. 13. lib. 7. aph. 10. l. 6. de loc. aff. c. 1. l. de venæ ſect. adv. Eraſiſt. c. 5. l. 5. aph. 31.*

14. *Προκαταρκτικαὶ horum omnium cauſæ cum προηγουμέναις ex antegreſſorum morborum claſſe peti debent: hîc eas miſſas facimus.*

Signa. 15. *Signa per ſe ſunt conſpicua. Cauſarum verò indicia, ab excretis, horum colore & ſapore, juvantibus item & lædentibus aſſequimur. Bilioſis namq; humoribus ſuus adeſt color vel*

viridis,

viridis, vel æruginoſus, vel glaſteus aut cæruleus: pituitoſis, albicans, albumini ovi aut vitro fuſo ſimilis: Sapor bili ineſt amarus; pituitæ inſipidus vel ſalſus: in bilioſâ colluvie, frigida; in pituitoſâ, calida juvamen præſtant.

16. *Primarium tandem affectum ventriculi an ſubſequantur pathemata hæcce, à continuatâ vel interruptâ horum ſerie, & ab antegreſſis depromitur. Continuò etenim ſi affligant, ventriculum eſſe principaliter affectum; interruptim id ſi fiat, eundem aliarum partium conſenſu affici, ſatis demonſtrant.*

17. *Sic in ſingultu repletionis indicia ex acrimoniæ tenſionisve ſenſu deſumuntur, adeſt quinetiam interdum nauſea, ructus: Inanitio verò ſingultum proferens, inediam, hypercatharſin vel errore, vel ſponte factam, vel hæmorrhagiam nimiam conſequitur.*

18. *Prognoſtica ex Hippocrate, Galeno, cæteriſque primi ordinis Medicis hæc notanda veniunt.* Prognoſt. *Vomitu rejecta ſi bilem pituitæ quàm maximè remixtam habent, eaque nec craſſa nimium, nec multa, utilia exiſtunt. Sincera verò, pejora. Si autem porracea, vel livida, nigráve eadem fuerint, peſſima exiſtimanda. Quod ſi verò eodem vomitu omnes hi colores rejiciantur, exitiale. At lividus vomitus, graviter olens, celerrimam mortē denunciat. Omnes item ſubputres & graves odores in omnibus vomitib⁹ mali.*

Hipp. 2. prognoſt. § §. 38. 39. 40. 41. 42. Vomitus à tuberculorum, vel interiorum viſcerum apoſtematum ruptione, & in febribus malignis, & in Ileo morbo, perniciofus. Hipp. 7. aph. 8. & 10.

19. Singultus à repletione minus periculoſus quàm is, qui ab inanitione, quod quidem videre eſt apud Hipp. l. 5. aph. 3. & 4. Ex volvulo ſingultus, malum, l. 7. aph. 10. Ex Epatis inflammatione ſingultus, malum. l. 7. aph. 17. Senioribus nimium purgatis ſingultus ſuperveniens, malum, l. 7. aph. 41. Singultui ſternutatio ſuperveniens, ceſſare facit eundem. l. 6. aph. 13.

Curatio. *20. Duplicem horum Symptomatum curationem methodus medendi nobis inſinuat: quarum prior cauſæ rationem habendo, medelam huic adhibere conatur; poſterior, urgentiori Symptomati removendo operam navat.*

21. Prior cauſarum amolitioni quæ intenta eſt, id ipſum perficit primarium ventriculi vitium depellendo: quod vel purgantibus, vel etiam vomitorijs exhibitis vitioſæ materiæ exinde colluviem educentibus, dehinc robur adflantibus peragitur: aut partibus, quibus compatitur ventriculus, priſtinam κράσιν reſtituendo, quod quomodo fieri debeat, ſuis è locis petendum, & horſum accommodandum.

22. Purgantium, uti & Vomitoriorum claſſem ex ſuperioribus repetitam huc referre licebit.

Notan-

Notandum tamen ut cum maximè, humores educendi num futuri ſint obedientes, quod quidem ex ſignis concoctionis & cruditatis in urina haud magno cum negotio aſſequemur. Immodicus enim hiſce ſi ſubſit lentor, is ipſe deſtruendus incidentibus & detergentibus, dehinc convenientibus pharmacis vel ſurſum, vel deorſum pro aptitudine vel ineptitudine ægri, de quâ Hipp. 2. Aphor. 35. educendus.

23. *In vomitorijs hæc reliquis præferenda è Galenicorum remedijs: ℞. Syr. acet. ſimpl. unc. j. aq. hordei unc. iiij. miſce. tepidè exhibeatur. vel ℞. Oxymel. ſimpl. unc. j. aq. hordei unc. vj. cui ſi libet, aliquid ol. olivarum addatur. vel ℞. julorum juglandium exſiccat. & pulv. drach. j. exhibeatur cum unc. vj. aq. hordei, vel decoctionis ficuum, ſimilive. Vel unus atq; alter nucleus interior Nucis Indicæ comedendus præbeatur, qui quidem guſtui non inſuavis, vomitum tamen potentiſſimè movet. Chymica qui volet, Tinctura Ellebori, ol. Antimonij cum decoctis convenientibus utatur: humoris tamen in ventriculo exſuperantis perpetuâ & ſedulâ ratione habitâ.*

24. *Is etenim ſi bilioſus & acris, ad temperiem potentiâ frigidorum exhibitione reducendus: ſi pituitoſus, craſſus & viſcidus, incidendus, ut antea quoq; monuimus.*

25. *Eductis pravis humoribus, ventriculi habeatur ratio, & confortantibus medicamentis, & alimentis ἐν χύμοις καὶ ἐν πέττοις.* Con-

26. *Confortantia quidem pro diverſitate intemperierum, diverſa quoq; aſſumenda, in calida quidem refrigerantia, qualia ſunt Magiſterium corallorum, perlarum, ſpodium præparatum, Cornu cervi uſtum & cum aq. plantaginis vel roſarum præparatum, Crocus ♂, Syr. myrtillorum, conſerva roſarum antiqua, &c. in frigida contra calefacientia, Vinum Malvaticum cum paucis Spir. Vitrioli guttulis, Ol. Caryophyllorum convenienter adminiſtratum, Varij quoque pulveres ex cubebis, Caryophyllis, maſtiche &c. præparati.*

27. *Foris quoque & ſcutis ſtomachalibus, & pulviſculis ſacculis inſutis, & linimentis quoque ex Ol. roſarum, myrtillorum, Cytoniorum in causâ calidâ; in frigida, ex Menthâ, nuce muſcatâ, maſtiche, abſinthio &c. concinnatis, confortari conſvevit. Huc etiam pertinet Emplaſtrum de cruſtâ panis vocatum; imò & cruſta panis digiti craſſitie, toſta, vino generoſo, ſi frigus; vel aceto roſaceo, ſi calor urgeat, immerſa, pulveribusq; convenientibus, menthæ, maſtichis, caryophyllorum, roſarum, &c. conſperſa, ventriculo ſub cartilagine ſcutiformi imponi ſolet.*

28. *In vomitu nimis frequenti, ut & vires dejiciat, purgantibus neglectis, ad confortantia mox confugiendum. Quin & cruſta panis toſta, in aceto vel vino, pro diverſitate cauſæ, macerata, nauſcam, interdum etiam vomitum compeſcuiſ-*

peſcuiſſe obſervatum fuit. Quidam etiam Olibani pulverem cum albumine ovi, placentæ in modum, commixtum, carpis manuum apponunt, magno quod ajunt, cum juvamine.

29. *Nonnullis quoq; ſubſequens in omni vomitu nimio indifferenter commendatum vidimus. ℞. Baccarum juniperi M. j. lupuli M. iij. contuſa & conciſa coq. in vino rubro ſtiptico, & inſtar Cataplaſmatis calida mucronatæ cartilagini ſupponatur, calorq; pluries renovetur: intrinſecus paucis interim Spiritus Vitrioli gutt. cum aq. Calamenthæ manè & veſperi exhibitis.*

30. *Singultus ſi ab inanitione ægrè in pueris, adoleſcentibusque & quidem humectantibus, atque deperditum reſtaurantibus curatur; quæ qualia eſſe debeant, ex diſputationibus de febri hecticâ & Phthiſi conſtare jam arbitramur.*

31. *A repletione* πρωτοπαθικῇ, *eaque magnâ, ſi fiat, eodem modo, quo vomitum curandum eſſe diximus, exſtirpandus venit. Minor ſi ſit eadem, vel retentione ſpiritus, vel ſternutamento commoto, removetur.*

32. *Cui ſi cedere noluerit, decocto maſtichis, aut caryophyllorum cum vino Cretico facto, per ſingula cochlearia ſeorſim exhibito, deſtruetur. Quem in finem Ol. Caryophyllorum, Carvi, Cymini, Cort. aurantiorum, piperis, idq; genus alia cum liquore alio exhiberi poterunt.*

Topica

33. *Topica quinetiam exteriora, fomentationibus, frictionibus, inunctionibus &c. completa, haud parum hîc profeciſſe experientiâ comprobatum eſt.*

34. *Reſolutio ſi adſit mineralium, aurâve quæpiam maligna, Arſenici proprietates ſapiens, hæc ipſa Alexipharmacis, Ext. ſcordëi, zedoäriæ, ſcorzoneræ, &c. vel unico illo Ladano Opiato, coagulari, oppugnari, expugnari poterit.*

Diſputatio XVI.

DE INFLAMMATIONE, OBSTRVCTIONE & ſcirrho epatis;

Ad quam reſpondebat

IOANNES FRIDA
Oſnaburg. VVeſtph.

THESIS I.

I*Nhæmatoſeos officina complures ſe proferunt, tum ſimilares, tum etiam diſſimilares organicive affectus. Similares quidem, cum nudæ intemperies, vel etiam materiâ quâpiam copulatæ hanc ipſam infeſtant, quod dum contingit, Hepaticam affectionem cum Galeno l. 8. κτ' τόπυς c. 6. & 5. loc. aff. 7. & reliqui etiam Græci id vocarunt: Scribonius Largus ſic habitos, Iecoroſos; Mar-*

Marcellus Empiricus Iecoritios; alij aliter indigitarunt: Diſſimilares verò cum Inflammatio, Obſtructio, Scirrhuſve eandē occupat, quas quidem affectiones Cornelius Celſus lib. 4. cap. 3. ex mente Hippocratis libb. Epidem. l. de adfect. Coäc. prænot. §. 446. & ſeqq. ſub nomine Morbi Hepatici, compræhendendas cenſuit.

2. *Nos prioribus hîc miſſis quod facilis earum ſit cognitio, nec in principio difficilis admodum curatio: quæque & iiſdem remediis, paulò poſt hoc loco enarrandis; minori attamen temporis diſpendio, expugnari poſſit: poſteriorum diſquiſitionem paulò pleniorem inſtituemus.*

3. *Inflammationem, (quam ſive de ſententiâ Hippocratis l. 1. de morb. & Gal. l. 1. Epidem. comm. 3. §. 8. ἡπαῖτιν, ſive aliorum ex mente φλεγμονὴν τ͂ ἥπατος dicamus, ſusq; deq; : nec enim de nominibus hîc multum laboramus, Gal. l. 2. meth. med. c. 2.) definimus eſſe tumorem calidum, ex ſanguine copioſo è ſuis vaſis, vel propter eorundem ἀναςόμωσιν aut διαπήδησιν, vel etiam διαίρεσιν ipſam parenchymatis ſubſtantiā ſubeunte, ibiq; putreſcente, excitatum. Gal. l. 2. diff. feb. c. 11. l. 5. loc. aff. c. 7.* Definitio

4. *Obſtructio Hepatis, Græcis ἔμφραξις, Barbaris Oppilatio nuncupata, eſt vel venarum majorum, viſceris cavo vel gibbo implantatarum, vel etiam capillarium per jecoris ſubſtantiam diſperſarum, infarctu humoris lenti & viſcoſi, vel*

etiam copioſi, facta obturatio, Gal. 5. loc. aff. cap. 7. l. de conſtit. artis cap. 16.

5. Scirrhus tandem eſt durus atque renitens, indolensque in Epate tumor, à ſangvine craſſo in viſceris ſubſtantia prognatus. Galenus ibidem & lib. 13. meth. med. c. 16.

Differentiæ. 6. Inflammationis differentiæ vel à ſubjecto, vel à materiali cauſâ deſumuntur. Loco quidem, dum aut gibba jecinoris, aut cava ejusdem, nonnunquam etiam utraq; hâc infeſtantur. l. 5. loc. aff. c. 7. licet una parte inflammatâ vicinæ citiſſimè in conſenſum rapiantur. l. 13. Meth. c. 14. Materiâ verò, paro interdum ſangvine Hepatis φλεγμονὴν propriſſimè dictam; nonnunquam impuro, φλεγμονὴν ἐρυσιπελατώδην, vel etiam φλεγμονὴν οἰδηματώδην, introducente.

7. Similiter & obſtructionis, atq; Scirrhi differentiæ ratione ſubjecti ſe habent: dum vel in cavâ, vel convexâ Epatis parte oboriuntur. Materiæ verò ratione, Obſtructionem à craſſo fieri ſangvine neceſſum eſt: Scirrhum autem interdum primariò, à craſſo ſimiliter ſangvine, oboriri conſtat: nonnunquam ſecundariò, quorumlibet humorum inflammationem jecoris principiò excitantium; partibus tenuioribus, per halitum digeſtis, reſtantibus craſſioribus.

8. Præcipua tamen Scirrhi differentia à duratione depromitur Practicis: principiò namque dum in Scirrhoden tranſit naturâ tumor aliquis, dolo-

doloriſque ſenſum paulatim exuit, Scirrhus nothus, minuſvè exquiſitus dici ſolet: incrementum dehinc ſumens uſque, ut ſenſus doloris, etjamſi violentia quædam occurrat externa, prorſus diſpereat, exquiſitus & legitimus nominatur.

9. Inflammationis cauſæ προηγούμεναι cum ſynecticis è ſuperioribus, quæ & in definitione, & quoq; differentiis fuêre propoſitæ, ſatis patent: in προκαταρκτικαῖς recenſentur vini meracioris, aromatumq;, imò & Veneris intemperatior uſus, Epithematum nimis excalefacientium forinſecus admotio, percuſſio hypochondrii dextri, decubitus in eandem partem diuturnior, & cætera quæ ſunt hujus generis. Cauſæ.

19. Similiter et cauſæ Obſtructionis ſynecticæ ex ſuperioribus patent. Ad προηγουμένας referimus vel χύλωσιν diminutam depravatámve, cujus vitia hæmatoſis emendare dum ſatagit, obſtructionis labem incurrit: vel ſaltem hæmatoſin affectã, quæ aut crudiores ſuccos flatusve craſſiores in venulis accumulat; aut ſangvinem ſuperaſſando craſſiorem reddat: hinc malum ἐμφράξεως conſequens. Procatarcticis annumeramus omnia, quæcunq; viſcoſos & craſſos progignunt humores accumulantve, quales ſunt cibi craſſi viſcidique, amylum, oryza, panis triticeus non fermentatus, lac craſſius, caſeus, caro bubula, caprina, cervina, etc. quæ plurimis in locis à Galeno ad longum

refe-

referuntur : otium ſimiliter immodicum., idem 2. Tuend. ſanit. c. 8. Vel eoſdem jam genitos anguſtioribus viſceris meatibus ingerunt, puta balnea concoctionis perfectionem anticipantia, imò & corpore multum cacochymico inita, ſic & vehementiora exercitia, Venerisq; ludi ventre pleno accerſiti, quæ quidem omnia, & plura etiam huc pertinentia videri poterunt apud Gal. l. de cibis boni & mali ſucci c. 4. l. 3. aliment. fac. c. 15. 5. de Sanit. tuen. c. 6.

11. Scirrhi cauſam Synecticen humorem eſſe craſſum, aut glutinoſum, aut utroq; vitio infectum, tum ex ſuperioribus, tum etiam Gal. l. 5. loc. aff. c. 7. & l. 14. meth. med. c. 2. 2. ad Glauc. c. 5. manifeſtum eſt. In προκαταρκτικῶν autem cenſu habentur & illa, quæ antea in obſtructionis cauſis retulimus, & inſuper Medicamentorum Topicorum impensè refrigerantium, adſtringentiũ, repercutientiumq; hypochondrÿs applicatio.

Signa. *12. Signa inflammationis è tribus præcipuè ſedibus, Galeno præmonſtrante l. 2. de locis aff. c. 8. & l. 5. ejusdem lib. c. 7. eruuntur: quarum primam actiones & ipſius Epatis, & partium vicinarum, imò & remotarum, nobis manifeſtant. In cerebro quippe, mens hebeſcit : ſomnus adeſt ferè nullus : Cor febri infeſtatur acuta, quæ tamen pro diverſitate cauſarum, intenditur vel remittitur : pulſus adeſt nunc durus & inæqualis, nunc magnus, undoſus, & velox. Thorax*

aridâ

aridâ tuſſi exagitatur: adeſtque crebra & parva reſpiratio: In ventriculo appetitus proſternitur. In hepate ſanguificationem depravatam comitatur ſitis vehemens. quæ quidem omnia videri poſſunt in Gal. 4. de cauſ. pulſ. 7. l. 5. loc. aff. 7. l. 2 ejuſdem c. 8. 2. Prrrhet. com. 21. 1. præſag. ex pulſ. 4. l. de utilitate reſpirationis, cap. 4.

13. *Excreta mutata hæc occurrunt: Vomitus principio bilis flavæ aut vitellinæ; dehinc æruginoſæ: alvus interdum aſtricta, nonnunquam fluida: urina conſpicitur rubea ſive flammea. Gal. 4. vict. acut. §. 15. Sic accidentia mutata hæc notantur, habitus corporis ſqualidus, color ad flavedinem vergens: lingua principiò intensè rubra, dehinc nigrante demum colore conſpiciendam ſe præbens. Quibus, ſi lubet, addere licet doloris proprietatem, qui gravans in hypochondrio, nonnunquam tamen & tenſivus, in jugulo æquè ac in hypochondrio ſeſe manifeſtat.*

14. *An verò cava vel convexa Epatis mox initio inflammationem patiantur, ex iiſdem quoque ſignis hoc modo diſcernitur: Cava ſi affligantur, cibi faſtidium majus adeſt, ſitis itidem intenſior, vomitus crebriores, dolor minor, tuſſis rarior, ſpirandiq; difficultas etiam minor: gibba contra, ſi inflammentur, priora tria ſymptomata mitiora obſervantur: dolor tamen ad*

tactum dextri hypochondrij non vulgaris, tuſſis ſicca crebrior, ſpirandiq; difficultas major.

15. *Similiter & obſtructio ex functionibus præpeditis, excretis, & accidentibus immutatis dignoſcitur. Functionũ namq; αἱματοποιητικὴ adeò impeditur, ut ſi gibba infarciantur, diſtributione ſanguinis intercepta, partes omnes corporis atrophia ſenſim contabeſcant: ſin cava afficiantur, itidem nutricatu ſuo, aſt aliter, fruſtrentur. In locomotiva maxima adeſt languiditas, præſertim in ſcalarum locorumq; acclivium aſcenſu, inſigni cum anhelitus difficultate ſeſe proferens. Urinæ plurimùm crudæ (inflammationem ni ſubſequatur obſtructio) & ſine ſedimento conſpiciuntur. Excrementa alvi, ſi cava obſtruantur, ſunt Chyloſa: ſi gibba, niſi caliditas adſit præternaturalis, liquidiora. In accidentibus immutatis conſpiciuntur, facies palleſcens, albicans, liveſcensve, pro diverſitate humoris Synecticam conſtituentis, quibus ſi libet, dolorem gravantem tenſivumve in hypochondrijs addere licet.*

16. *Scirrhus præter illa, quæ in obſtructione propoſuimus, ſigna; attamen intenſiora; & durum renitentemq; tactui tumorem ſub coſtis nothis dextri lateris offert, idque adeò, ut digitos imprimentes recipere prorſus reſpuant: rectius tamen is tactu deprehenditur, dum vel erectus eſt æger, vel in ſiniſtrum latus ſe inclinat aut decumbit. Decubitum dextrum, quàm contrarium*

levius

lævius ferunt. Exquiſitus dum ſit, ſuperiora marceſcunt; inferiora verò leucophlegmatiâ inundante intumeſcunt. Gal. l. 2. loc. aff. c. 8. l. 3. diffic. reſpir. c. 12.

17. *Inflammatio Epatis cùm magnus ſit affectus, ideoque periculoſus etiam: convexæ tamen inflammatio concavâ eſt periculoſior. Gal. 2. in 6. Epid. §. 14. ſimiliter totius viſceris inflammatio pejor, quàm partis. Hipp. 1. prog. 29. & Gal. in comm. Pariter à ſanguine puro periculoſa quidem, à biliosâ periculoſior; œdematoſa inflammatio omnium mitiſſima, Hepati inflammationem patienti ſingultus ſuperveniens malum. Hipp. 7. aph. 17. vide plura, ſi libet, huc pertinentia prognoſtica apud Hipp. 5. aph. 58. l. 1. prognoſt. à §. 31. usq; ad §. 41. & Gal. in comm.* Progno∫t.

18. *Obſtructio haud contemptim habenda, tum ob ſymptomata concomitantia, ſupra in ſignis enarrata; tum ob conſequentia, quæ ſunt Inflammatio, febris, ſcirrhus, hydrops. vide Galenum l. de cib. boni & mali ſucci c. 2. & 5.*

19. *De Scirrho licet Galenus l. 2. ad Glauconem cap. 5. Prognoſticon his verbis reliquerit: Scirrhum Epatis ab initio ſanavimus ſæpius: ubi verò ad plures dies foret extenſus, nec ipſe ſanare potui, nec alium vidi qui poſſet, &c. haud tamen illud Catholicon eſſe, comprobante id multorum & Neotericorum Galenicorum, & Chymiatrorum experientiâ, aſſeveramus.*

Curatio. 20. *Inflammationis Curationem ut Diætâ Pharmaciâ atq; Chirurgiâ aſſequamur: Diætetica ex præcepto Galeni lib. 13. meth. med. c. 14. exquiſitiſſimâ opus erit, quæ tenuis quidem exiſtens, ſimul deobſtruat, & acrimoniæ penitus nihil obtineat: quare in cibo convenientiſſimus ab Hipp. & Gal. ll. de victu acut. Ptiſſana & cremor hujus celebratur, quibus avenacea annumerari poſſunt: hiſce incoquenda & vis medicata afflanda Rad. Cichorei, Taraxaci, graminis, fragariæ; imò & interdum agrimoniæ, Valerianæ, &c. pro circumſtantiarum ratione.*

21. *Pro virium etiam conſervatione, reſtaurationeque, conceduntur carnes avicularum montanarum, juvenum columbarum, perdicum, phaſianorum: piſces quoque ſaxatiles, quorum juri incoctione Cichoraceorum, intyborum, item paſſularum & glycyrrhizæ, alterandi major facultas acquirenda. In potu nil niſi decoctum hordei, ſerum lactis, vel quatuor ex ſeminibus frigidis majoribus cum aq. Cichorei extractæ, emulſiones, offerendum. Cæterarum rerum non naturalium qualitas hîc requiſita, vel ex ſuperioribus de febribus huc accommodari poteſt.*

22. *Pharmacia, ſemper tamen præmiſſa Venæ ſectione, de conſilio Senis noſtri l. 4. de victu acut. §. 21. & 22. & fidiſſimi hujus interpretis, com. dicti loci, & l. 13. meth. med. c. 11. de quâ paulò poſt, vel intus exhibitis, vel foris impoſitis,* perage-

eragetur. Intus quidem, ſaburrâ ventris pri-ium per clyſteris injectionem detractâ, ſi cava fficiantur Epatis, principio lenientibus ptiſſanæ ecoctis, qualia Gal. 13. meth. med. 15. & 20. umerat Cnicum, urticam, mercurialem, epi-hymum, filiculam; & recentioribus in uſu ſunt aſſia noviter extracta, Syr. roſ. vel violar. ſo-utivus, manna, tamarindi, & ſimilia: mate-ia tumori ſubtrahatur: dehinc decoctis ſimpli-ium antea pro alteratione potus enumerato-um, pro diverſitate tamen cauſæ evariatorum, oncoctio materiæ morbificæ ulterius promovea-ur, quoad hac ipsâ perfectâ eradicativè pur-gantibus (quorum materiam in ſuperioribus ali-quoties poſuimus) uti morbus non inhibeat. In al-terantium tamen horum uſu à dulcibus abſtinen-dum, quandoquidem hæc ipſa tumidum efficere jecur obſervatum: ſi tamen palato ægri inſer-viendum omninò, parciſſimo ſaccharo, vel Syr. acetoſis cum ſaccharo, non melle paratis, dul-cedo decoctis acquirenda.

23. *Felicius hæc ipſa ſuarum quod eſt partium, abſolvent, ſi vel iis ipſis, vel etiam ipſorum ſtil-latitiis liquoribus paucæ Spiritus Vitrioli ritè præparati, vel Ol. ſulphuris, Camphoræve, gut-tulæ immiſceantur.*

24. *Quod ſi in gibbis magis inflammatio urge-re deprehendatur, purgantibus intermiſſis, diu-*

reticis materiæ morbificæ expulſio committatur, in quorum cenſu habentur, principiò quidem ſem. frig. majora: dehinc apium; tandem aſparagi, petroſelinum, daucus, meum, &c. quorum tamen caliditas, ſi indicans adſit, frigidorum admixtu, reprimenda.

25. Foris Topicorum uſus eſt conſpicuus, in quibus aſtringentium diſcutientiumque materia, diverſis tamen proportionibus, pro temporum morbi diverſitate, commixta ſemper requiritur: quæ à Gal. l. 13. meth. c. 12. 15. 16. alijsq; hoc ipſo poſterioribus, ſub unguentorum, Cerotorum, Cataplaſmatum aut Epithematum formâ applicatur: priora, quod pinguedine & viſcoſitate ſuâ poros obſtruant, difflationemque fuliginoſorum excrementorum præpediant, ad ſuos authores relegamus: Epithemata verò uti tutiora, noſtris uſibus accommodabimus: quorum materiã ex practicis huc accommodandam, hîc omittimus: id interim monendo, ne actu frigida unquam admoveantur, uti neq; ſola, ne in declinatione quidem, relaxantia diſcutientiáve, ſed ſemper aſtringentibus permixta.

26. In Chirurgiâ venæ ſectio eſt præcipua, à quâ, ut antea monitum, curationis initium faciendum. Epatica itaque dextra, vel hac conſpectum ſubterfugiente, mediana; ſtatim aperienda, è quâ ſi ſanguinis quantitas ſufficiens ſimul & ſemel educi nequeat, iteratò vel etiam tertiatò id fiat

id fiat : quod ſi tamen menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſſio occaſionem Inflammationi præbuerit, Tali venæ rectius aperiri poſſe videntur.

27. Nec uſum hirudinum, deficientibus hæmorrhoidibus, Aëtio l.10.c. 3. probatarum, rejicimus : ſicut neque uſum cucurbitæ ibidem ab Aëtio, & prius à Gal. 13. Meth. c. 19. commendatæ : declinationis ſi modò tempore hypochondrio dextro applicetur.

28. Obſtructio ſimiliter, uti & Scirrhus, prædictis illis tribus Pharmaceutices inſtrumentis expugnabuntur. Diæta namq; attenuans & deobſtruens plurimùm hîc prodeſſe obſervatum fuit; quæ quidem, ſi malum copioſam ſubſequatur materiam, tenuis ſimul etiam ſit neceſſum eſt : ſin verò à craſſâ viſcidiorique dependeat materia; paulò quoq; plenior concedi poteſt, dummodo obſtructioni novam non ſuggerat materiam.

29. De potu idem eſto judicium, ut obſtructioni demoliendæ deſtinatus ſit, ideoq; pro cauſarum diverſitate, ex ptiſſanæ vel hordei decocto, cum alijs medicamentis calidioribus frigidioribuſve, alterato, vino, cereviſiâ Abſinthiacâ, ſimilive, variatus. In cæteris rebus non natural. ut illa omnia, quæ cauſas inter procatarcticas recenſuimus, evitentur, ſedulò ſtudeatur : ſicuti & cibatio, calido adhuc à balneo vel exercitijs corpore, intermittatur.

30. *Pharmacia principio blandioribus digerentibus, purgantibusque alternatis peragenda: quibus parum proficientibus ad validiora ſenſim tranſeundum: mitiorum in claſſe ſunt Cichoracea omnia, agrimonia, betonica, &c. validioribus accenſentur Carduus benedictus, Apium, Petroſelinum, Centaurium: purgantium ſylva in ſuperioribus aliquoties fuit propoſita, quæ quidem appropriato directorio Epatis uſibus accommodentur. Lilium tamen Antimonij, & tinctura ejuſdem, ritè præparata non immeritò hic cunctis alijs præferuntur.*

31. *Obicibus venularum reſeratis ſuus viſceri tonos reſtauretur vel Opiatis, vel Rotulis ſubſequentibus ℞. Sacchari in aq. Cichorei vel agrimoniæ diſſoluti unc. iiij. ſpec. diacurcumæ dr. j. ſs. Epatis lupini ſcrup. ij. Mannæ Vitrioli, vel Spiritus Vitrioli Veneris ſcrup. ſs. Magiſt. tartarei gutt. v. F. Rotulæ.*

32. *Chirurgiæ quidem in Obſtructione rarior, in Scirrho rariſſimus eſt uſus: Si tamen adhibenda, phlebotomia venæ Epaticæ deſtinanda erit: Cauterijs ſuum quoque relinquimus uſum, dummodò cautè adhibeantur. Cucurbitæ impoſitionem regioni Epatis, tanquam noxiam, improbamus.*

33. *In ſcirrho cum major ſit contumacia, enumerata hactenus ſi parum proficiant, ſcirrhusque gibba ipſius occupet, foris quoque is oppugnetur,*

quod

quod fiet emollientibus, diſcutientibus & adſtringentibus ſimul mixtis: ut ſunt Rad: Althææ, malvæ, liliorum alborum, ſem. lini, fænugræci, medulla cervina, vitulina, &c. Ammoniacum, bdellium, ſagapenum, thymiama, Comæ abſinthij, myrobalani, maſtix, ſantala, myrrha, crocus, origanum, ſerpyllum, &c. in quorum tamen omnium commixtione id ſtudioſè obſervandum, ut inter validè exſiccantia, fortiterq; excalfacientia mediocritas quædam obſervetur. Gal. 5. ſimpl. fac. c. 6.

34. *Cavo ſi inſideat, Topicis cum parum prodeſſe poſſimus, præmiſſis univerſalibus, particularia, pro diverſitate materiæ, ſubjungenda: Inter quæ plurimum commendata Galenicis novimus Electuarium de Chalybe, cui ſuam quoque dignitatem relinquimus: alijs quoque in ſecreto habetur ung. Nardinum, Gal. quoq; l. 8. κτ' τόπυς c. 9. non ignotum, cujus cochlearia 4. ſingulo mane 4. ante prandium horis, exhibent: cui tanquam ſordido meritò præfertur tinctura vel ſal tartari in aq. Theriacali eundem ad modum propinata: ſimiliter & liquor Cryſtallorum, per urinas tartareas viſcerum obſtructiones exigens. Oleum quinetiam Vitrioli ♀ acidum cum ſale Abſinthij mixtum, Magiſterium Epaticum, Sol vitæ Paracelſi, Tinctura Alcaheſt ejuſdem, & quæ id genus alia, experientiâ comprobata coti-*

diè obſervantur: quorum omnium plura vel pauciora, pro diſcretione Medici exhiberi poſſunt.

Diſputatio XVII.

DE HYDROPE,

Quam reſpondentis munere fungens

IOACHIMVS VRSINVS Stolpenſis Pomeranus defendebat.

3. Calend. April. Anno 1603.

THESIS I.

Est & alius τῆς αἱματώσεως vitium conſequens affectus, quem variè quoq; varij, omnes tamen à cauſâ putatâ, adpellarunt: quidam Hydropem, alij Hydroſin, nonnulli Hydropiſin: Latini Aquam intercutem, Barbari Hydropiſian dixerunt. Hipp. l. 1. intern. affect. l. 1. de vict. acut. §. 5. Galenus in comm. idem l. 2. meth. med. c. 2. Cælius Aurelius 3. Morb. Chronic. c. 8. Celſus l. 3. c. 21.

Definitio. 2. *Definiri poterit, quod ſit tumor præternaturalis vel partis cujuſpiam, vel etiam totius, aſpectum non ſubterfugiens, ab humore flatuq; diſtendente excitatus, ex frigido Epate prognatus.*

3. *Plures hujus apud authores differentiæ obſervantur: quarum quædam proprijſſimè; nonnullæ ob Analogiam quandam hiſce nominibus inſigniuntur. Poſteriorum è cenſu ſunt Hydrops uteri-*

uterinus, Diabete, hydropem ad matulam quam dicunt, hydrops pulmonum, hydrocephale: priorum ad claſſem referuntur Anaſarca, Aſcites & Tympanites; illis in præſentiarum miſſis, naturam harum rimandam adgrediemur.

4. Anaſarca itaq; quam & σαρκίτην ἐπισαρκίδιον, ὑποσαρκίδιον, ὑπὸ σάρκα imò & λευκοφλεγματίαν dicunt, eſt totius corporis à ſubjacentibus aquis in manifeſtum tumorem intumeſcentia. Gal. 4. de vict. acut. §. 111. 5. loc. aff. c. 7.

5. Aſcitas, ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, id eſt, utre (Omentum aquoſis humorib. refertum quem quaſi refert) abdominis eſt ex ſubdito aquoſo humore diſtentio.

6. Τυμπανίτης vel τυμπανία, Hippocrati 4. aph. 12. hydrops ſiccus ejuſdem eſt abdominis ex plurimis flatibus in hujus capacitate concluſis exuberantia.

7. Cauſa horum morborum continens citra controverſiam eſt, Seroſa flatulentáve materia, totius habitum vel ſaltem partes abdominis cum adjacentibus inferioribus diſtendens: de proëgumenis dubium oboritur: nos tamen ambagibus miſſis, ſemper ſanguificationis in hæmatoſeos officinâ fruſtrationem conſequi hunc cum Galeno 3. Sympt. cauſ. c. 1. l. 6. loc. aff. c. 1. 2. fac. nat. c. 8. in Iſagoge c. 13. de facult. corpus noſtr. diſpenſ. l. 5. loc. aff. c. 7. l. 2. progn. com. 1. Paulus l. 3. c. 48. Avicenna Fen 14. 3. lib. c. de hydrope & aliis in locis quam plurimis aſſerimus. Cauſa.

Afri-

8. *A frigidâ autem intemperie fruſtratio hæc inducitur jecori, idq; aut* πρωτοπαθικῶς *aut* δευτεροπαθικῶς*; ſimiliterque vel per* ἰδιοπάθειαν, *vel etiam* συμπάθειαν. Πρωτοπαθικῶς *quidem, cum ſtatim initio à cauſis* προκαταρκτικοῖς δυσκρασία *quædam frigida viſceri inprimitur:* δευτεροπαθικῶς *verò, inflammatione quàdam præcedente, calidumque innatum diſſòlvente, & humidum primigenium abſumente: unde ſuo fruſtratum genio viſcus, inſuper rimas interdum agere, & manifeſtò dehiſcere incipit, & in exteriore primum tunicâ veſiculas illas,* ὑδατίδες *vocatas, produci, è quibus tandem diſruptis aquoſa illa proluvies abdomen inundans proruit; vel etiam obſtructione, ſcirrhóve antecedentibus; quæ & calorem ſuffocando,* αἱματοποίησιν *quam maximè impediunt. Vide Fernel. l. 6. pathal. cap. 8. Hipp. 7. aph. 55. & Galen. in comm.*

9. *Ex* ἰδιοπαθείᾳ *jecinoris pronaſcens hydrops è modò dictis conſpicuus fuit:* συμπαθείας *autem ratione, univerſo, vel etiam particulâ quapiam, ut ventriculo, liene, inteſtinis, meſenterio, diaphragmate, aliiſque, aut frigidâ intemperie, aut quoque inflammatione laborantibus, pariter per communitatem vaſorum inquinatur: interdum etiam vel ſuperpurgationis, vel etiam nimias è partibus quibuslibet exortas hæmorrhagias, ſicut & conſuetas evacuationes ſuppreſſas, conſequitur: quod quidem videre eſt apud Gal. l. 9.*

Method.

Method. med. cap. 10. lib. 6. loc. aff. cap. 1. Hipp. 6. aph. 43.

10. Nec illud hîc ſilentio prætereundum, quod à Gal. quoque l. 3. Sympt. cauſ. cap. 1. monitum fuit: Vitium primæ concoctionis Tympanitidem conſequi: ubi tamen & dictum Avenzoar l. 1. tract. 13. c. 1. Rarò fieri Tympanitin ſine lienis tumore; haud omittendum: ſecundæ verò concoctionis nævum Aſciten comitari: tertiam verò imminutam Anaſarcam ſociam agnoſcere: quod quidem propriâ Epatis dyſcraſiâ concurrente, certum eſt.

11. Πɛριαταρκτικοῖς annumerandæ veniunt omnes illæ, quæ vel propriiſſimè frigidam partibus imprimere nata ſunt intemperiem: vel etiam per accidens calidum innatum diſſolvendo hoc efficiunt: quæ quidem omnia à Galeno de morborum cauſis c. 3. enarrantur: quò etiam pertinent belluatio, vigiliæ intempeſtivæ & ſomnus quoq; nimius, ſtationes nocturnæ, à ſomno, ab exercitijs & à balneo, æſtuante adhuc corpore, inprimis verò frigidæ potatio. Gal. l. 3. ſympt. cauſ. c. 2.

12. Signorum alia omni hydropi ſunt communia, alia cujuslibet ſpeciei propria: Communia ſunt, Vividus corporis color evaneſcens, pedum tumor digitorum impreſſorum veſtigia retinens, reſpirationis difficultas, ſitis, quæ tamen aſcitin magis propriè indicat. Cauſarum ſigna ex antegreſſis rectiſſimè deſumuntur. Gal. l. 2. prognoſt. comm. §. 12. Signa.

Anaſar-

13. *Anaſarca, quod & antea dictum, tumore univerſali ſeſe manifeſtat, in quo ubivis digitorum impreſſorum veſtigia manent reliqua: fœtor adeſt anhelitus: vomitus alborum craſſorumq; humorum, uti & egeſtio: urinæ albæ, tenues & omninò crudæ: pulſus undoſus, latior, mollis & languidus. Gal. 4. de cauſ. pulſ. c. 24.*

14. *Aſcites ſe prodit, abdominis principio, dehinc pedum & ſcroti tumore, ſuperioribus interim partibus flacceſcentibus contabeſcentibusq; ut inconcinnè haud dictum videatur, hanc ſpeciem fiſco Regio adſimilari, qui quantum increſcit; tantum res privatorum decreſcere ſolet: appetitus proſternitur; at ſitis plurimum negotii faceſſit: urina admodum pauca, rubicunda & ferè craſſa redditur: fæces alvi paucæ, & duræ dejiciuntur: ægroq; circumvoluto fluctuantis ac murmurantis aquæ ſonitus in abdomine percipitur: pulſus adeſt parvus, creber, ſubdurus, tenſionis cujuſdam particeps. Gal. 2. cauſ. pulſ. c. 24. 4. ſimpl. facult. c. 30.*

15. *Tympanites æquabili ex ventris ſolius tumore, eoque ferè quàm in aſcite, minori, eſt conſpicua: abdomen percuſſum Tympani in modum reſonat, idemque rugitu quopiam plurimum obmurmurat: pulſus longior, non imbecillus, celerior, creber, ſubdurus cum quadam tenſione adeſt. Gal. de cauſ. pulſ. ubi ſupra.*

Impli-

16. *Implicatur tamen ſæpiſſimè aſcites cum Tympaniâ, quod ut cognoſcatur, oportet cum Galeno 4. dignot. pulſ. c. 3. pulſare ventrem, & valido preſſu tangere: ægrumq; in latera convertere: ſic namq; ſtrepitus nobis ſpiritum, fluctuatio repletionem annunciabit. Averrh. 3. collig. c. 21. Aët. l. 10. c. 20. Gal. ubi ante.*

17. *Prognoſtica ſalutem vel mortem indicantia præcipua hæc habentur: Omnis hydrops periculo conjunctus eſt: Tympanites tamen periculoſiſſima: proximum Anaſarca locum habet: Aſcites verò inter reliquas mitiſſima: morborum niſi acutorum ſit progenies: hæc etenim deſperata; ſicut & obſtructionem ſcirrhumve Epatis, lieniſve quæ inſequitur, periculi plena eſt. Hipp 2. prognoſt. §. 1. 2. l. 1. de morb.*

18. *Servi atq; pauperes longè facilius curantur, quàm liberi, divites & primates; quod quidem à Galeno ſumptum Cornelius Celſus l. 3. c. 21. non ignobili de Antigoni regis amico hydropico hiſtoriâ illuſtravit.*

19. *Sic ex 2. Porrhet. εὐσπλάγχνοις ferè tantum reſtitui manifeſtum eſt: in quibus etiam ſolis & paracenteſis inita locum habere poteſt: in cæteris namque inutilis eſt. Plura hujuſmodi ex Hipp. 4. aph. 11. 6. aph. 12. 14. 7. aph. 29. 47. & 55. Galeno 1. in 6. Epid. comm. §. 6. 2. Prognoſt. §. 1. 2. 3. in comm. & aliunde quoq; huc referri poterunt.*

Curatio. 20. *Curationem hydropis diætâ, pharmaciâ, & Chirurgiâ, tribus illis pharmaceutices inſtrumentis, ritè in uſum vocatis perficiemus: in quibus tamen etiam cauſarum τ῀ προηγουμένων, ſiquidem adhuc præſentes, ſedula quoq; ratio eſt habenda: illarum enim poſt ſublationem ad cauſæ ſynecticæ exſtirpationem promptior erit aditus.*

21. *In Diætetices itaq; inſtitutione aër eligatur ad calidum & ſiccum moderatè vergens, ſerenus; craſſus enim ad morbum facit: Cibus ſit* εὔπεπτος, *facultateq; ſiccatoriâ & calefactoriâ (ni febris & morbi acuti calido contraindicent) inſignis: panis ſit optimè fermentatus, nec à furfuribus multum repurgatus, imò ſi ventriculus ferat, bis coctus reliquis præferatur: piſcium eſus ſit nullus vel certè rariſſimus: carnes ſint potius aſſæ quàm elixæ: hæq; omnes ferarum, avicularumq; montanarum; lacuſtribus omninò neglectis: in cibis quoq; ſunt quidam, quos obſervatio totâ, quod ajunt, ſubſtantiâ Iecori conducere monſtravit, ut ſunt jecora animalium, præcipuè gallinarum, in quibus & nigræ reliquis præferuntur: potus ſit nullus aut parciſſimus, & is abſinthio ſimilive medicatus.*

22. *Somnus ſit modicus, isq; in ſtrato non nimis molli, rectiſſimè ſuper herbis exſiccatoriâ vi præditis, puta Vitice, pulegio, ſerpillo, Calamenthâ &c. Motus, ſi febris abſit, plurimus: frictiones percommodæ, Laconicum utiliſſimum. Re-*

tentio

tentio excrementorum nocentiſſima; hæc arte impedienda.

23. Pharmacia in purgatione Aquarum & viſceris reſtauratione abſolvitur: purgationi verò quæ præparatio, & quibus medicamentis, præmittenda, aliundè ſumatur: purgantium materia varia apud varios occurrit: Sunt quibus præcipuè commendantur Elect. ex Iride, Rob Sambucinum, Succus cucumeris agreſtis, ſoldanellæ, decoctum quinetiam ſoldanellæ, Rad. ebuli, ſambuci, Mechoäcæ, diaturbith cum Rhab. hiera diacolocynthidos, hiera Logodij. El. Indum, &c.

24. A Chymicis præferuntur Tinct. & Ol. Antimonij, Vitrum Antimonij debitè præparatum, Turpethum minerale, & alia id genus, in ſuperioribus aliquoties commemorata. Ex vegetabilibus hunc in uſum præparari poſſent Ext. ex floribus Perſicis, ex granis ſambuci, Mechoacæ, gratiolæ, &c. quorum unum vel plura hunc in modum in uſum vocari poterunt. ℞. Ext. gratiolæ, Mechoäcæ an. ſcr. j. ſalis gratiolæ gr. vj. fiant pilulæ Ol. aniſi inungendæ.

25. In tympaniâ verò cùm minor aquoſæ materiæ copia redundet, à validioribus purgantibus abſtinendum. Sufficiat itaq; mediocribus admixtis flatus diſcutientibus partem materiæ è primâ corporis regione exſtirpare, quem in finem ſufficere poterit ſubſequens, ℞. Ext. Mechoäcæ

M drach.

drach.ß. Zedoäriæ, Calami aromatici an. gr. v. cum aniſo incruſtato & pulveriſato fiat bolus.

26. Nec ſemel, ſed ſæpius his uti medicamentis neceſſum eſt: hoc tamen perpetuò obſervando, ne continuatis diebus id fiat, ſed triduo vel quatriduo intercepto, naturâque medicamentis convenientibus, qualia in ſuperiori diſputatione enarravimus plura, modicum redintegratâ, id renovetur.

27. Quin etiam Topicis varijs, inſolatione, defoſſione in arenâ marinâ, in ventre præliantis, & id genus alijs, curationem hydropis medicos aggredi paſſim videre eſt: uti quoque & Thermis, ſacculis ex ſale & ſulphure, unguentis, inter quæ primum ungu. de Arthanitâ; imò & Clyſteribus, qui apud authores prolixius legantur.

28. Chirurgiæ quidem in hydrope, præterquam in cauterijs & paracenteſi, nullum uſum agnoſcimus: Phlebotomia namq;, quâ multi in Anaſarcâ mox in principio utuntur, in omni hydrope inutilis, niſi mox in morborum acutorum, quos hydrops dehinc inſequitur, initijs in uſum fuerit vocata. Similiter in ſuppreſſione menſium, hemorrhoidumq; ad præſervationem ab hydrope ni fuerit accerſita.

29. De adminiſtratione Paracenteſis poterit videri Paulus l. 6. c. 50. in quâ tamen memoria dicti Aphoriſtici Hippocratis l. 6. aphor. 27. de hydropicis, ſi urantur, aut ſecentur, & aqua univerſim

verſim effluxerit, omninò moriuntur, non obliteranda. Eleganter hac de re Andr. Laurent. l. 1. anat. c. 8. quæſtione 16. qui videatur.

Diſputatio XVIII.

DE SCORBUTO ET MELANCHOLIA Hypochondriaca.

Reſpondente

MATTHÆO BACMEISTERO, Roſtochienſi.

A. D. 8. Id. April.

THESIS I.

EA naturæ eſt providentia, ut excrementitium quidvis in concoctionibus reſultans, deſtinata ad receptacula amandet, ubi aliquamdiu reſervatum, per loca dehinc convenientia poſtmodum ſecernatur: hoc niſi fiat, varia repullulaſcere pathemata indies obſervatur.

2. *Excrementorum hanc ſecretionem vel vitio expellentis facultatis in Epate languidæ, vel attrahentis in veſiculâ felleâ, ſplene, renibusque impeditæ, impediri certum eſt: Nos tamen reliquis nunc miſſis, lienis ſolummodò malè conſtituti pathemata, eaque graviora pariter & frequentiora conſideranda ſuſcipiemus.*

3. *Inter quæ nullum Arctois in hiſce mari Balthico contiguis plagis frequentius ſeſe offert,*

quàm Scorbutus; à ventris torminibus Schorbuck/ *vel oris depravatione* Schorbeck / *Germanis & Danis hiſce finitimis, denominatus: cui & nonnulli morphææ nigræ ſeu* μέλανος ἀλφῦ *nomen cum Galeno 3. de ſympt. cauſ. c. 2. attribuunt: alij Plinianam* στελετύρβην *&* στομακάκην, *l. 25. cap. 3. deſcriptam, eſſe aſſerunt; quidam Magnos lienes, aut Volvulum hæmatiten ab Hippoc. lib. de intern. affect. & l. de affectionib. & l. 2. prorrhetic. circa finem, expoſitum, eſſe volunt: Vulgo ſtomacaxia, & à gingivarum pedumq; oblæſione, Gingipedium nuncupatur.*

Definitio. *4. Definimus eum, quòd ſit morbus accolis Maris Balthici Endemius, ex fæculenti ſangvinis depuratione præpeditâ, hincque Cacochymiâ vel univerſali, vel particulari accumulatâ, progenitus cutim maculis fœdis, gingivas pruriginoſo rubore, ſuras tenſione, pedes tumore, & univerſum corpus gravitate afficiens.*

5. Similiter & Balthico hoc in littore frequentiſſima eſt illa lienis affectio, quæ cum à Galeno 3. de loc. affect. c. 7. & 2. de ſympt. cauſ. c. ult. tum reliquis etiam Græcis φυσῶδες καὶ ὑποχονδριακὸν; *Latinis morbus flatuoſus & præcordialis, paſſio meſenterica; Arabibus Mirachia, utplurimùm autem Melancholia hypochondriaca vel flatuoſa, dicitur.*

6. Quæ definiri poterit Mentis depravatio à vapore atro & impuro ex hypochondrijs, liene

& venis

& venis meſaraicis, fæculentâ & craſſâ materiâ obſtructis inflammatisque, cum metu & mœſtitia citra febrem.

7. Scorbuti differentias alij alias licet faciant, nos tamen reliquis miſſis, utpote naturam rei minus exprimentibus; ſubſequentem à ſubjecto depromptam retinendam arbitramur: ut alius ſit univerſalis, totius, omniumque corporis partium; alius particularis, isque vel infernarum, dum ſcilicet craſſior ſangvis ſubſtantiæ ſuæ ratione deorſum vergens, crura & pedes affligit: vel ſupernarum, oris partes & gingivas, ratione ſeroſitatis & levitatis ſuæ, infeſtans: vel intermediarum, præcordijs nempe infixus, lienisq; manifeſtum tumorem efficiens, & tum propriiſſimè Magnorum lienum Hippocratis nomen promerens. Different.

8. Sic & Melancholiæ hypochondriacæ vel à foci diuerſitate, vel à materiali causâ differentiæ ſtatuuntur diverſæ: Aliquando enim vapor ille melancholicus & ater ex Epate diſtemperato; aliquando ex liene, humore fæculento ibidem coäcervato; nonnunquam ex obſtructo Meſenterio, vel etiam aſtrictioribus inteſtinis; interdum ab utero ſuppreſſis menſibus, vel à ſemine putrefacto, ſurſum elevatur; Materiæ ratione vel à melancholico ſangvine, vel eodem atrabilario provenit, quarum illa mitior; hæc ferocior eſſe ſolet.

9. *Ab alijs duabus Melancholiæ ſpeciebus differt, quòd una Cerebri primarium ſit pathema: altera Melancholici humoris in toto corporis habitu exſuperantis ſit conſectaria: hæc verò, uti ex jam dictis quoq; conſtat, hypochondriorum ex conſenſu mentem infeſtet.*

Cauſæ. 10. *Cauſæ ſcorbuti procatarcticæ vel ad aërem ambientem, regionemq;, vel ad victum pravum, vel ad corporis ægri conſtitutionem referuntur. Aër enim corruptus in locis maritimis & uliginoſis, juxta Hippocratem lib. de aëre, aquis & loc. pariterq; aquarum vitioſarum ſtagnantiumque uſus, hunc ipſum producere poſſunt: ſimiliter & victus pravus carnium putridarum, fumoque induratarum, laridi rancidi, ſic & piſcium muriâ conditorum, atque infumatorum, panis nautici biscocti ſubmucidi, leguminum craſſos ſuccos producentium; quo etiam facere obſervatæ ſunt cereviſiæ fæculentæ. Diutina inſuper inedia, affectus animi immodici, labores nimij, mæſticia vigiliæque immoderatæ, evacuationum ſolitarum ſuppreſſio, ignavum ocium, hunc quoque producere ſolent. Similiter & febres præcedentes ex mente quoq; Galeni 3. locis aff. cap. 7. materiam huic malo ſuggerere poſſunt; tandem jus hæreditarium in ſemine deliteſcens haud in poſtremis cenſentur.*

11. Προηγουμένοις *accenſentur Epar efferveſcentiam ſuſtinens, & exindè fæculenti ſanguinis copiam*

piam producens, lienis item attractrix expultrixve læſa, hincq; intumeſcens, obſtructionem, ſcirrhum, inflationem, aut φλόγωσιν contrahens: ex quibus omnibus vel ſingulis melancholici ſucci ſequeſtratio impeditur.

12. Συνεκτικὴν agnoſcit Scorbutus cauſam humorem cacochymicum, maximè Melancholicum, ſive is ſit ſolitarius, ſive etiam copioſo ſero, phlegmate, aut bile permixtus: τὸ θεῖον verò Hippocraticum hîc non poſtremas obtinere meritò cenſetur.

13. Melancholiæ hypochondriacæ cauſas procatarcticas, tum & eaſdem, modò in Scorbuto enumeratas, tum & ſequentes agnoſcimus. Eſum ciborum flatulentorum, leguminum, carnis caprinæ, bubulæ, leporinæ, aprugnæ, panis furfuracei; potum vinorum nigrorum craſſorumque, cerevisiarumve fæculentarum ac turbidarum, idq; genus aliarum. Huc referuntur mærores, vigiliæ, labor immodicus, febres præcedentes, & reliqua antea quoq; è Gal. propoſita.

14. In proëgumenis habentur frigida ventriculi, & calida Epatis dyſcraſia, Meſenterij quoque calidior ſicciorque pariter conſtitutio, ſicut & ejuſdem, uti etiam Pylori, ab humore fæculento, ſæpius atrabilario inibi contento, efferveſcentia; ſimiliter & earundem partium à ſimilib. humoribus obſtructio, præcordiorumq; inflatio.

15. Synectica hinc erit, evaporatio à ſanguine,

in parte efferveſcente incraſſato, aſſato vel putrefacto ad cerebrum ſublata, unde ab atro illo fumo mentis tenebræ & melancholica oriuntur accidentia.

Signa. 16. *Incipientem Scorbutum indicant corporis univerſi gravitas, laſſitudo ſpontanea, reſpirationis, præſertim in motu corporis, difficultas, præcordiorum anguſtia, doloris ſenſus in hypochondrijs, præcipuè ſiniſtro, maculæ cæruleæ aut lividæ in crurib. prurigo & excreſcentia ſanguinolenta gingivarū, faciei color ex pallido fuſcus.*

17. *Confirmatum indicant effloreſcentiæ nigræ, flavæ, aut puniceæ non ſolum in cruribus, ſed & univerſo in corpore emergentes, tumor pedum, venæ & ſub lingua, & in reliquis itidem corporis partibus varicoſæ, oris graveolentia, dentium gingivis putridis & eroſis vacillatio, tendinum reſolutio, ambulandi impotentia, ex ſyncope crebriori languor, gravans in alterutro hypochondrio dolor, appetitus proſtratus, inſomnia terribilia, moroſitas inuſitata, urina craſſa & rubicunda, vini rubelli inſtar, imo & fœtida aliquando ac ſubnigra.*

18. *Nec tamen hæc omnia conjunctim ſemper ſe offerunt ſigna; ſed pro mutatâ materiâ, ægri ætate, temperamento, & regione, plura vel pauciora occurrunt. Seroſior etenim ſi ſubſit materia, ſurſum tendens, gingivas præcipuè afficit; craſſior eadem, cruribus atq; pedibus bellum infert:*

eidem

eidem bilis ſi immixta, efflorefcentiæ cutis evadunt flavæ aut virides; melancholia verò maculis nigricantibus ſe prodit: ater ſuccus tandem ulceribus malignis & cancroſis, difficillimeque ad cicatricem, eamque tandem nigram, deducendis, eſt infeſta. Epatis ſi vitio fiat, in partibus dextris; ſin lienis, cuncta in ſiniſtris magis ſunt conſpicua. Meſenterium, pancreas, & venæ Meſaraicæ, ſcorbuto ſi focum præbeant, ex facili aut difficili fæcum excretione, excretorumque qualitatibus, ventris item tumore atq; inflatione, deprehendetur.

19. Sic juvenilibus in corporibus, ubi omnia ſunt vegeta, ſurſumque vergentia, gingivarum adeſt vitium: contra in ſenilibus langueſcentibus, tumor pedum, crurumq; maculæ ulceráve animadvertuntur.

20. Melancholiæ ex fæculento & pituitoſo ſanguine productæ ſigna ex variјs Galeni locis, præſertim l. 3. loc. aff. c. 7. hæc eſſe conſtat. Totius contabeſcentia atque macies, ſudor multus, ſputum à ſumpto cibo copioſum, ructus acidus, nidoroſuſve, flatus, rugitus, præcordiorum inflatio, dolores ventriculi vehementes, vomitiones crudorum ciborum, & pituitæ acidæ; cordis palpitatio, arteriarum in præcordijs pulſatio vehemens, æſtus ibidem, absq; ſiti tamen, evaporationes calidæ, præcipuè poſt ciborum calidorum coctúve difficilium aſſumptionem, mentem

 turban-

turbantes, quæ ipſæ dejectione alvi & frigidioribus aſſumptis miteſcunt: inſomnia horrenda: ignavia, mœſticia, & timor. Hipp. 6. aph. 23. 1. prognoſt. 12.

21. Atra bilis ſi vapore maligno cerebrum affligat; omnia hæc ſigna magis intenſa occurrunt: præcordia namq; magis æſtuant atq; pulſant, animæ defectiones ſuſcitantur crebriores, fauces areſcunt, facies rubore & ardore, oculi ſuffuſione, mens perturbatione ingenti afficitur.

Prognoſt. *22. Prognoſtica Scorbutum reſpicientia hæc obſervata fuerunt hactenus. Cum omnibus Melancholicis id habet commune adfectibus, quòd Chronicus ſit affectus, ægreq;, radices ſi egerit, exſtirpetur. Cognatione ſerpit, non tantùm in iiſdem familiis hæreditarius; ſed & converſantibus cum ſcorbuticis, iiſdemq; cum illis poculis, patula, oſculis, lecto, utentibus inſidias ſtruens: In Cachexiam, melancholiam hypochondriacam, phthiſin, diarrhœam, nonnunquam atrophiam, ictericiam nigram, imò & hydropem deſinere ſolet. In febribus exortus, maximè contagioſus eſt, & utplurimum lethalis. Materia ſcorbuti ad collum ſi regurgitet, ibidemq; putreſcat, ſuffocatio metuenda. Pueros & juvenes minus; adultos verò, & ſenes, quibus ætas jam propè exacta eſt, magis affligit.*

23. Melancholia hypochondriaca pertinax admodum eſt morbus, cui maxima viſcerum dyſcra-

dyſcraſia ſubeſt. Atrabilaria ſi ſit ea, hujusq; vapores in cerebro figantur, maniam cum febri hecticâ & maraſmo inducit. Sin pituitoſior, catarrhos plurimos aggregat. huc refer aph. 73. lib. 4. Aph. 11. 21. 43. 48. 53. lib. 6. Hipp.

24. *Scorbuti hoſpitis tam inauſpicati ejectionem ut adſequamur, diætâ principiò ſtatim exquiſitâ eſt oppugnandus: Aër proinde ægrum ambiens ſit clarus, temperatè calidus, non udus aut ſqualidus; Cibi ſint εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι, quò referuntur, ptiſana & cremor hujus, ova ſorbilia, carnes pullorum, gallinarum, avicularum montanarum, & id genus alia, quæ quidem aſſa magis, quàm elixa quibuſdam commendantur: quibus tamen omnibus tantum indulgendum, quò vires reficiantur, non obruantur: quod & gelatinis, & deſtillatis caponum, ac olei panis, cibiq; cœleſtis appellati exhibitione perficitur. Panis ſit triticeus, optimeq; fermentatus, Potus cerevisia clara, belleq; defæcata, cum herbis & radicibus, Citragine, Abſinthio, Chamædry, Enulâ, Iride Florentinâ, &c. medicata: ſic & Vinum Abſinthites, Enulatum, vel agrioraphano infuſo alteratum: ubi tamen viſcerum naturalium, cauſæq; ſynecticæ ratio ſedula eſt habenda.* Curatio.

25. *Exercitia corporis principiò ſint modica; in declinatione verò aliquantò vehementiora: quo ambulationes, frictiones, balnea Laconica & ſimilia referimus. Somnus ſit nocturnus, isq; mo-*

deratus: Excrementa alvi & veſicæ ſingulis diebus aſſumptis reſpondeant, quod niſi fiat, vel arte procuretur. Venus, cunctaq; animi pathemata, excepto gaudio, exulent.

26. *Quibus ita præſcriptis, expugnatio morbi Phlebotomiâ, præmiſſâ tamen ſemper minorativâ purgatione cum paſſulis medicatis, aniſo laxativo, Extracto paſſulato, Ext. aloës, vel balſamo ejusdem, Elect. diaprunis paſſulati, diacatholico, &c. primùm adgredienda: ſiniſtra itaq; ſi magis affligi videantur, interna cubiti ſiniſtri vena, vel etiam annularem circa digitum quæ decurrit, Salvatellam vocant, aperienda: dextrarum partium ſi majorſit morbus, eædem dextri lateris venæ aperiendæ: hac tamen cautione ſanguis extrahendus, quo natura onere levata, reliquum ſibi quod perficiendum in curatione, rectius peragat.*

27. *Quo facto craſſa poſtmodum attenuanda, viſcida incidenda, lenta abſtergenda, tum illis medicamentis, quæ paſſim apud authores hunc in finem proponuntur, vel decoctis, vel ſucco eorundem expreſſo; tum vel maximè permixtis prioribus, quæ obſervatio ſedula Antiſcorbutica eſſe demonſtravit, qualia ſunt Cochlearia, Naſturtium omne, Becabunga, Nummularia, Abſinthium, fumaria, quorum unc. iiij. ſero lactis addito, ſi temperamentum ægri calidius; vino, ſi frigidius: ſingulis diebus binis vicibꝰ exhibeantur.*

Præpa-

28. Præparatis hoc modo humoribus, dehinc eradicativè purgantibus educantur: qualia pro diverſitate humorum eſſe poſſunt, Eſſentia Ellebori, Scammonei, Ext. Mechoacæ, Rhabarbari, &c. Turbith minerale, lilium Antimonij, quinta eſſentia Marcaſitæ Saturni, Ext. Panchymagogum Zvvingeri, aliaq; : quæ quidem omnia, cum prioribus digerentibus alternatis aliquot vicibus, exhibenda.

29. Reliquiæ tandem ſcorbuticæ ne recidivam pariant, ſedulò cavendum: quo faciet Elect. ſequens, aut ſimile. ℞. Conſ. Cochleariæ unc. j. ß. fumariæ, abſinthij an. unc. ß. Rad. Enulæ conditæ unc. j. ſpec. dialaccæ, diarrhodon Abb. an. ʒ. j. Magiſt. Chalybis ʒ. ß. cum Syr. Cochleariæ q. ſ. fi. Elect. Spir. Vitrioli, Tartari vel Cryſtalli aliquot guttulis condiendum.

30. Symptomatum præcipuorum curatio, ne nobis hiſce immorandum, apud Balduinum Ronſſæum, Salomonem Albertum, Hier. Reuſnerum, aliosque, qui plenius hac de re tractarunt, videatur.

31. Sic & melancholiæ hypochondriacæ curatio perficitur, diætâ priori haud multum diſſimili, cauſa niſi continens atrabilarius fuerit ſuccus. Tum enim præterquam quod cibus concoctu facilis, refrigerans & humectans exhibendus, idemque deobſtruens ſemper ſit neceſſum eſt: qui & flatus diſcutientibus alterandus.

Reſe-

23. *Reſeratio obſtructionum, materiæ obſtruentis expurgatio, viſcerumq; naturalium confortatio, quibus peragenda, tum ex modò enumeratis, tum è ſuperioribus de Obſtructione Epatis manifeſta ſunt, quæ huc accommodentur.*

Diſputatio XIX.

DE COLICO ET ILIACO INTESTINORUM DOLORIBUS.

Quam tutabatur

BERNHARDUS OLDERMAN Roſtochienſis,

A. D. 5. Id. April.

THESIS I.

PRæcipuorum imæ cavitatis viſcerum præcipuis conſideratis affectibus, tempeſtivum nunc eſt, eorum aggredi præternaturalem conſtitutionem, illis quæ ſervire nata ſunt: Ab inteſtinis, utpote concoctioni primæ perficiendæ deſtinatis organis, facto initio. Et licet quidem variorum illa vitiorum, organicæ quod ſint partes, ſubjectum eſſe queant: nos tamen, quod hactenus fecimus, celebrium maximè habentes rationem, de Dolore, generaliſſimo inteſtinorum Symptomate, primo loco diſquiremus.*

2. *Cum autem dolor alius cum anguſtiâ, alius citra eandem inteſtina excruciet: de illo, hoc*

interim

interim non penitus neglecto, nobis præcipuè agendum erit. Defini... itaq; poterit triſtis inteſtinorum ſenſatio, eaq... vehemens, ab intemperie, vel etiam à materiâ continuum ſolvente, producta. ex mente Galeni l. 6. loc. aff. c. 2. l. 2. ejuſdem c. 5. Definitio

3. Hujus differentias è formâ, ſubjecto & effectrice venabimur. Dolor enim proprietatis ſuæ ratione (quâ de Galenus l. 2. loc. aff. c. 5.) vel pungitivus, tenſivus, gravans, rodens, pulſans, contundens, comprimens, terebrans, fixus, errans &c. inteſtina exercere poterit. Dolorem autem modò tenuia inteſtina, modò craſſa, modò utraq; perferunt: quorum ille eâ de cauſâ etiam Colicus, nomine à parte affectâ deducto; iſte Iliacus, pariter à ſubjecto, vel εἰλεὸς, à volvendo, effectu nempe: aliis indidem εἰλεὸς ab ἐλειέω, hinc quoq; Latinis Miſerere Domine, uti & volvulus, convolvulus, Chordapſus, &c. dicitur: hic verò ſpeciali nomine deſtituitur. Ex effectrice quæ prodeunt differentiæ, ex theſi 6. nullo cum negotio haberi poterunt. Differen.

4. Προηγουμένας dictorum adfectuum, ex celebriorum Medicorum ſententiâ, conſtituimus cauſas, quicquid vel corpulentam, vel flatuoſam materiam dictis in partibus congerere poteſt: quò pertinent obſtructiones à fæcibus induratis, ab apoſtemate ſcirrhòve craſſiorum inteſtinorum; compreſſiones itẽ à partibus adjacentibus, Iecoris,

renum,

renum, veſicæ, uteri, &c. apoſtemata, Calculus quinetiam renum & veſicæ, Hernia.

5. Προκαταρκτικῶν rationem habent Aër ambiens nimis intemperatus, præcipuè tamen frigidior; regiones item conſimiles: imò & ex obſervatu Pauli l. 3. c. 48. μιάσματα quædam maligna aëri permixta, Epidemiam quæ Colicam efficere ſolent. Cibi, potus intemperatiores, vel aſtrictionem inteſtinorum introducentes; vel ſuâ quoque naturâ citò corruptibiles, flatuumve copiam producentes, in quorum cenſu, præſertim in πικροχόλοις melli vel primas tribuimus. Horſum pertinent ocium vel exercitium nimium, venus nimia, vitæ genus, ad ignem continuè degens, &c.

6. Συνεκτικαὶ tandem exiſtunt vel corpulentæ materiæ, vel flatulentæ, aut dictorum in locorum cavitate, aut etiam tunicis eorundem coäcervatæ: corpulentæ quidem, craſſæ atq; viſcidæ, quales ſunt pituita vitrea, melancholia, grumus ſanguinis (hic tamen putreſcens magis Iliacam, quàm Colicam infert paſſionem) quibus addere licet vermes, lapides inteſtinales, &c. vel tenues & acres, quò pertinent bilis & pituita ſalſa. Flatulenta materia itidem eſt vel craſſa & frigida, ex craſſis frigidiſq; humoribus à languido calore excitata: vel acris & calida, ex inflammationibus vicinis, aut febribus malignis horſum derivata. Paracelſi cauſam, Sal nempe, vel Tartarum reſolutum, aut nimium coägulatum ſi cui-

piam

pium aſſumere allubeſcit, non multum repugnamus.

7. Signorum alia inteſtinalem à circumjacentium partium dolore diſcernunt: alia locum affectum: differentias & cauſas alia demonſtrant. Sic meſenterij dolor obſcurus & gravans, vix pro doloris ſpecie cenſendus, minimeque cum hoc, de quo agimus, inteſtinorum dolore, comparandus eſt. Ventriculum dolere, ſitus ejuſdem ſublimior, & qui eſt verſus ſpinam aduſque ſcapulas ſcandens, dolor oſtendit: quemadmodum inteſtina, vel hypogaſtrium, vel regio umbilicalis, vel Epigaſtrium, vel omnia hæc ſimul; adhæc anteriora, quæq; ad latera ſunt loca, arguunt. Signa.

8. In nephritidis diſtinctione, quam pro dolore Colico venditare periti conſueverunt, majori opus eſt diligentiâ: præſertim cum & ipſe Galenus 2. loc. aff. c. 5. & 6. loc. aff. c. 2. hac parte ſe deceptum fateatur. Colon itaq; dolor pungens aut terebrans, amplus, extenſivus, vagusque; renes v. gravans, anguſtus, & niſi fortè calculum per ureteres moveri contingat, ſtabilis laceſſit: illum præterea nauſea, ἀνορεξία, vomitus, læſio concoctricis, intolerantia ſumma, ſyncope, nonnunquam & ſudor frigidus; hunc verò dorſi crurumque obſcurus & ſtupidus ſenſus, tremor totius, flectendi erigendique corporis impotentia comitari ſolent. Adhæc diverſitas excrementorum diſtinctionem facit. Colo enim dolente urinæ

initio plerumq; coloratæ, rubentes & craſſæ, ob bilis per inteſtina interceptam evacuationem, cernuntur : ſi quid ab alvo ejicitur, id flatuoſum quodammodo eſt, & aqua ſæpenumerò conſuevit ſupernatare, conſiſtentiamque bubulo ſtercori ſimilem habet : In nephritide verò, principio quidem urinæ inpermiſtæ, crudæ & tenues, poſtmodum tamen vel cum lapide, ſabulo, cruoréve permiſtæ excernuntur. Feces alvi duriores, prioribusq; multum diſſimiles.

9. Ἀναμνηστικὰ *caſu in præſenti haud aſpernenda: ſiquidem ſi ſatietas, cibi pituitoſi, flatulenti, aſtringentes, pharmacáve ſimilia; punctiones item, rugitus, alvi conſtipatio, prægreſſa ſint, Colon : ſin urina ſabuloſa, filamentis ſcatens, lumborum gravitas, cibis craſſis viſcidisq; permiſta diuretica, ventriculus frigidus, Epar et renes calidi præceſſerint, renes laborare indicio ſunt.*

10. *Ex conſequentibus tandem hæc quoque diſtinctio acquiritur. Etenim fecum, flatuum, aliusve materiei, clyſtere aut quovis modo extractio colo dolentibus prodeſt, ſicuti & venter vacuus malum remittere facit. Contra renibus hæc nihil adferunt juvamenti, quin potius calculum frangentia, diureticaque & ventriculus plenus affectum delinire, experientia docuit, Gal. 6. loc. aff. cap. 2.*

11. *Uterum dolere, ex ſitu ejuſdem aſſequimur: quippe quod hic Ilia non transſcendat, inguina,*

pubem,

pubem, coxasque occupans: præterea menſium præcedens retentio: præfocatio uteri nonnunquam conſequens: ex adverſo dolentibus inteſtinis, ventris regio malè habet, coxis inguinibusque ne minimum patientibus, antegreſſa alvi retentio, &c.

12. Differentiarum ſigna à formâ, & causâ deprompta è ſuperioribus facilè colligi poterunt: quemadmodum & graciliáne, an verò craſſa occupata ſint, tum ſitus eorundem, tum etiam doloris proprietas expriment.

13. Cauſarum ſigna quod attinet, ſi dolor extenſivus, errans, rugituſque crebriores animadvertantur; prægreſſæ item ſint flatuũ generatrices cauſæ; carminantia inſuper cum juvamento aſſumantur, frigidos; ſin verò dolor adſit mordicans, malignævè febris indicia, calidos adeſſe flatus demonſtrant. Pituita huic malo ſi dederit originem, fixus profunduſq;, vomitu & nauſeâ ſtipatus dolor arguit, quique flatibus ructibuſve erumpentibus nec quicquam remittit: ſic & crapula ociumque multum. Melancholiam gravans exaſperanſque dolor patefacient, cum præcedentis temperamenti victuſque recordatione. Bilem arguunt, quæcunq; eandem producere & fovere cauſæ poſſunt: calor item, ſitis, vigiliæ, mordax dolor, frigidorumque jucunda exhibitio.

14. Inflammatio malum ſi foveat, tenſivus, continuus, & fixus dolor id indicabunt: quibus

accedent vigiliæ, ſitis, febris, &c. Grumeſcens ſanguis id ſi efficiat, gravans adeſt dolor, corpuſque reliquum, præcipuè abdomen ſentitur frigidum, animiq; deliquium, ob putridos & malignitatem quandam ſapientes vapores cor impetentes, ægrum ſæpiuſculè proſternet: quin & ſanguinem copioſum generantes, venarumq; oſcula reſerantes cauſæ præceſſerunt.

15. Ulcus aut Apoſtema partium vicinarum pus detegit: fæces verò induratas compreſſivus aſperq; dolor, alvi conſtipatio, alimentorumque multi excrementi uſus aſſiduus. Pituitam ſalſam ulceroſus ſimulque mordicans dolor prodit. Calculus inteſtinalis tandem ſi adſit, contuſivus fixuſque dolor erit, cruditas multa, victus pituitoſus, flatus, alvi compreſſio, &c. id aperire nobis poterunt.

16. Anguſtiâ, vel obſtructione, aut conſtipatione, compreſſione, ſubſidentiâve introductam eſſe partim ex ſupradictis, partim ex vicinarum partium affectibus ante tractatis, & poſtmodum ulterius explicandis manifeſtum evadit.

Prognoſt. *17. Prognoſtica ex Galeno, cæteriſq; medicis hæc notanda: articulares dolores Colicæ ſupervenientes, morbum ſolvunt. Gal. 4. in 6. Epid. §. 3. & 2. aph. 36. Febris colicæ ex flatu, pituitâ aut frigidâ inteſtinorum intemperie ſuperveniens, eam ut plurimum ſolvit. Tympanites colicæ ſuperveniens mala. Quemadmodum vehe-*

mentior

mentior eſt Iliacæ, ita diuturnior, eſt colicæ paſſionis affectio.

18. *Quibus è ſtillicidio urinæ ileos ſupervenerit, in 7. diebus moriuntur, niſi febre ſuperveniente ſatis urina fluxerit. 6. aph. 44. Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia vel convulſio, malum. 7. aph. 10. Dum perpetua eſt extremorum frigiditas, iliaca tendit ad perniciem. Gal. ſect. 2. l. 3. Epidem. §. 6. Urina bona ſalutem; mala denunciat mortem. Deterior eſt in quo ſudor fætidus ſimiliſq; anhelitus. Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur. 4. aph. 11.*

19. *Curatio dolorum prædictorum dupliciter attentatur; vel ordinariâ, vel extraordinariâ. Ordinariâ quidem, dum cauſarum amolitioni intenti, effectum ſimul removemus: extraordinariâ v. & illegitimâ, dum causâ neglectâ, urgentiori deliniendo & ſopiendo inſiſtimus.* Curatio.

20. *Ordinariam itaque quod ſpectat, hæc ipſa tum & diætâ, & pharmaciâ, pro cauſarum varietate, ad calidum vel frigidum declinante eſt varianda, de quo prolixè ſatis Galenus lib. 12. methodi medendi cap. 8, qui videatur.*

21. *Specialiter tamen, pituita vitrea ſi in cauſâ ſit, injecto prius clyſtere, (qui vel ſolus hanc ipſam eduxiſſe obſervatum fuit,) convenientibus dehinc pharmacis deturbetur, qualia ſunt Elect.*

diaphœnicon, Indum, hiera Logadij, diaturbith, extr. Agarici, Mechoäçæ, Eſſ. Antimonij, &c. in aquâ convenienti vel etiam jure galli decrepiti diſſoluta.

22. *Bilioſus & acris ſi ſubſit humor, hiera picra, diacatholicon, diaprunum, El. de pſyllio, infuſum Rhabarbari, Extracta horum, &c. hunc exſtirpare poterunt: quibus tamen pro acrimoniâ temperandâ mucago ſeminis pſyllij vel emulſiones è 4. ſeminibus frigidis majoribus, addi poterunt. Nonnulli & oleum Amygdalarum dulcium ſic exhibendum cenſent, quod tamen in pituitâ ſalsâ, quàm bile, convenientius eſſe videtur.*

23. *A fecibus induratis ſi malum oriatur, horum emollitioni & fomentis, & inſeſſionibus in cucuphâ ex decoctis emollientibus adornatâ, opera danda: dehinc ejuſdem facultatis clyſteribus prolicienda. In quibus, contra quàm plurimi factitant medici, obſervandum, quod à Reinero Solenandro ſect. 3. conſil. 28. quoque adnotatur, ne injecti clyſteris quantitas inteſtina gravet, aut diſtendendo dolorem augeat: nec ſemper ad libras accedamus, ſed in uncijs quoq; nonnunquam ſubſiſtamus.*

24. *A flatulentâ ſi materiâ dolor urgeat, nec multa ſubſit cacochymia, hanc incantamenti inſtar, docente Galeno & experientiâ comprobante, cucurbitula magna umbilico cum multâ flammâ*

flammâ impoſita, diſſipat. In cujus defectu, vulgare poculum vitreum, ſuppoſitâ laminâ panis, cum cereâ incensâ candelâ, aſſumi ſolet.

25. Malignis ſi vaporibus horſum ruentibus excitetur dolor ille, non ſine ſublato fomite, ſupprimi poterit. Id ſuo cuilibet morbo relinquimus.

26. Pro flatibus tamen diſcutiendis hîc pauca adnectere libet, quæ tam intus, quàm foris in uſum vocari ſolent. Intus Ol. mentæ criſpæ, Caryophyllorum, Carvi, Cumini, ſuccini, philoſophorum, juniperi, Sulphuris, Ceræ, Sal Camomillæ, magiſt. corallorum, & ſpiritus Terebinthinæ, Vitrioli, Balſamus Sulphuris, Sulphur Vitrioli. Extr. calami aromatici cum aq. Camomillæ, parietariæ, Cinamomi, Spiritu Vini, &c. exhibentur. Galenicis talia laudantur, Speculum extremarum pennarum in cauda pavonum, Crux intermedia in juglandibus, decoctum Camomillæ, veronicæ, malvæ, &c. ebibitum.

27. Foris & ſacculi è chamomilla, milio, ſale, &c. admoventur. Omnium tamen rectiſſimè, minimaq; cum ægri moleſtiâ umbilico applicabitur ſubſequens. ℞. Galbani q. v. infundatur in Alcohol vini & extrahatur ejus vis medicata, infuſo poſtmodum imbuatur Caſtoreum, ac colocynthis q. ſ. inde placentulâ facta umbilico imponatur.

28. In Ileo tandem cum inflammationis adeſt ſuſpicio, mox in principio vena mediana aperiatur, dehinc ſuperioribus quoq; medicamentis, ex methodi præſcripto, percuretur. Ubi tamen ſi ſanguis grumeſcens hæreat, is medicamentis purgantibus in aq. Chærefolij diſſolutis, & ſpermatis ceti, non tamen rancidi, ℨ. ß. ſuperadditâ, feliciſſimè educitur.

29. Contorſio & volvulus in inteſtinis ſi adſit, hunc alij exhibito globulo plumbeo, vel aureo, pondere ſcilicet horum, in priſtinum reſtituunt locum: alij fricatione manuum oleo quopiam, anethino, amygdalino, &c. inunctarum.

30. Extraordinaria tandem cura vel anodynis dictis, inter quæ primas obtinet Ladanum Opiatum, & plura ſuperius theſi 26. enumerata: vel narcoticis, Opio, diaolibano, diacodio, requie Nicolai, Philonio, &c. peragitur.

Diſpu-

Diſputatio XX.

DE DYSENTERIA.

Quam præſide,

Viro Clariſsimo,

D. IOANNE BACKMEISTERO, PHILOSOPHIÆ ET Medicinæ Doctore ac Profeſſore, pro inſignibus Doctoralibus in arte Medicâ conſequendis,

Diſcutiendam proponebat

M. HENRICUS VVARENIUS, Roſtochienſis,

ANNO cIↄ. Iↄ. cII.

A. D. Prid. Non. Octob. in Auditorio majori, hora 7.

THESIS I.

INteſtina, cum veluti ſentina quædam ſint corporis, ad quam naturalis œconomiæ quiſquiliæ, aliiq; humores noxii undequaque facile confluunt, variis ac diverſis implicantur affectibus, atq; inter cæteros, exulceratione, quam Dyſenteriam vocant Medici, appellatione à loco affecto deducta.

2. De eâ nunc potiſſimum mihi differendum eſſe putavi, quoniam ſub hoc anni tempus autumnale plerumq; ingruere ſolet, teſte Hipp. 3. Aph. 22.

3. Dyſenteria verò cum pro omni dejectione cruentâ accipiatur, ne homonymia vocabuli alicui imponat, accuratè veram, proprieq; ſic dictam, à nothâ vel ſpuriâ diſtinguendam cenſemus.

Definitio. 4. Veram igitur ex Galeno & Aëtio definimus, cruentam alvi dejectionem ex ulcere inteſtinorum, ab acribus & erodentibus humoribus, vel, ut nonnunquam uſu venit, medicamentis productam, magno cum inteſtinorum cruciatu. Hinc difficultas inteſtinorum Latinis, Tormina Celſo dicta.

Diviſio. 5. Dividimus hanc in ſimpliciter talem & Epidemicam. Hæc verò eſt vel peſtilentialis & maligna, vel leviter tantùm contagioſa: quarum illa multis exitio eſt: hæc licet plurimos invadat, paucos è medio tollit.

6. Recipiunt & alias per accidentia ſua diſtinctiones, quod videlicet alia ſit ſine febre, alia cum febre, vel ſtipata Symptomatibus leviſſimis, aut planè atrocibus & ſæviſſimis. Ratione temporis & magnitudinis diſtinguitur in fientem & abſolutam. In fiente primùm adipoſa & pinguia (quibus contra injurias, interna ſui parte munita ſunt inteſtina, & præcipuè inferiora) dejiciuntur. In facta & abſoluta, ramenta vel carunculæ, unà cum ſanguine, pure & fecibus prodeunt.

ſunt. Duabus enim tunicis conſtare inteſtina demonſtrat Anatome. Harum ſi interior abraditur, ad inſtar Epidermidis partes deſcendunt: ſi exterior, carunculæ. Ratione ſitus Dyſenteria alia omnibus inteſtinis ſimul, alia quibusdam tantùm infenſa eſt, gracilibus nempe & ſuperioribus, vel craſſis & inferioribus.

7. Notham quam diximus, variè diſtinguunt authores, ſed nos omnem diverſitatem ad duas claſſes referri poſſe exiſtimamus, ut una ſit earum dejectionum, quæ vi morbi excitantur, quemadmodum in morbis quibusdam acutis; vel decretoriè; vel tabeſcentiæ & liquationis more contingere conſuevit: altera earum, quæ naturæ fiunt providentiâ, ut in mutilatis, in ſolemni aliquâ evacuatione, menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſâ; in plethorâ, ex neglectis exercitijs, coacervatâ: & in his caſibus ſinceri plerunq; ſanguinis eſt excretio. Ad priorem quoq; claſſem referimus fluxum hepaticum dictum, cùm excreta loturæ carnium recenter mactatarum ſunt ſimillima. Et hæc de notha Dyſenteria dicta ſufficiant.

8. Προκαταρκτικὴ ſeu externa dyſenteriæ ſimpliciter dictæ, cauſa eſſe poteſt rerum non naturalium, aſſumendorũ maximè & evacuandorũ uſus immoderatus. Hiſce adnumerari poſſunt medicamenta pernicioſa, ut Scammoniũ, Colocynthis, Antimonium crudũ; item Venena, ut Cantharides, Arſenicum, Sandaracha, Mercurius ſublimatus, &c. Cauſæ προκαταρκτικαί.

Epidemicæ verò peſtilentialis eſt in aëre, qui non ſolum quoäd qualitates primas alteratus; ſed occulto inſuper & inſenſili veneno imbutus, malignitatis ſemina naturæ noſtræ maximè infenſa, circumferens, ea corporibus noſtris imprimit. Atq; hic vel maximè illud τὸ θεῖον Hippocraticũ, cœlitus immiſſum, aſtralemque inferens morbum (uti illum Theophraſti ſequaces vocitant) vigere, elementariumque qualitatum primarum noxas excedere aſſerimus. Contagioſæ autem Epidemicæ cauſa προκαταρκτικὴ eſt auſtrina aëris conſtitutio, diu & continuè perſeverans: uti omnis quoque alia ejuſdem intemperies modum excedens, Vitiata alimenta, annonæ caritas, & quæ ſunt hujus farinæ alia.

9. *Cauſæ internæ ſeu continentes hujus mali ſunt acres & mordaces omnis generis humores, quales ſunt bilis flava, porracea, æruginoſa, atra, pituita ſalſa, ſive à toto, ſive ab aliquâ corporis parte ad inteſtina confluant, ſive in ipſis fuerint geniti. Paracelſo eſt vel ſtomachi, vel mineralium diſſolutio.*

10. *Oportet autem humores, qui dyſenteriam parere debent, neceſſariò calidos eſſe, (mordacitatis enim & acrimoniæ, ſine qua nulla fit eroſio, cauſa efficiens eſt caliditas) ſive calidi fiant per propriam naturam, ſive per putredinem. Hinc Galeno lib. 6. cap. 2. de locis affectis, mordax humor dyſenteriæ cauſa ſtatuitur, uti qui ab initio &*

o & abſtergat & abradat; deinde temporis in-
rvallo ulceret inteſtinum.

11. Dyſenteriæ ſimpliciter dictæ ſigna παθογνω-
μικὰ ſunt, frequens dejectio vires paulatim pro-
ernens, ubi in principio pinguia, mucoſa, & pro
verſitate cauſæ continentis colorata deijciun-
r. Subſequuntur dehinc, ubi malum incremen-
m ſumit, tunicæ interioris ramenta, & per in-
rvalla puris aliquid, ac ulcerum cruſtulæ ἐφέλ-
κες Græcis dictæ: tandem etiam carunculæ,
ando ulcus redditur profundius: tormina cir-
umbilicum, aut ubi deliteſcit ulcus, ſunt ve-
mentia: ſicut & Teneſmus; appetitus pro-
atus; ſitis vehemens, pervigilium; anxietas,
ncope, interdum & febris. ſed horum omnium
l plura, vel pauciora, pro diverſitate doloris
humorum peccantium ægro moleſta ſunt. Signa.

2. Epidemica dyſenteria hiſce ſe prodit indi-
s: Multitudo adeſt hominum in eadem regio-
, hoc eodem ex morbo decumbentium; conta-
q; attrahitur, quæ inſuper ſi peſtilentialis ſit,
rimi è vivis excedunt; adſuntque angina, ani
ercula & procidentia; aphthæ aliaque mul-
& formidabilia Symptomata.

3. Quæ porrò inteſtina præ ceteris ſint affecta,
hiſce notis facilimè & rectiſſimè deprehendi-
: Si abraſiones cum pingui quopiam fiant, &
menta ac carunculæ majores ſint aut craſſio-
, & vel ſanguis, vel pus excrementis non

exactè

exactè miſceantur: ſed iiſdem ſuperficiétenus quaſi adhæreſcant: item ſi dolores ſeu tormina excretionem non diu antevertant, craſſioribus inteſtinis vitium ineſſe certum eſt.

14. *Sin verò abraſiones fiant ſine pinguedine, ſi cruor aut carunculæ excrementis exactius permiſtæ appareant; ſi dolores acerbiores, umbilico viciniores, diutius excretionem præcedentes torqueant; ſi ramenta aut carunculæ minores & tenuiores exiſtant: ex his tenuiora inteſtina ulcere affecta eſſe dignoſcere licet.*

Prognoſt. 15. *Dyſenteria autem quovis anni tempore, in quacunq; regione, ætate, temperamento, ſexu accidere poteſt. Epidemica æſtate & autumno maximè affligit, omni ætate evenit, & plurimi ab eâ periclitantur.*

16. *Quæ adhuc fit dyſenteria, facilius curatur quàm quæ jam facta eſt & confirmata. Minus quoq; periculoſa exiſtit, quæ craſſiora infeſtat inteſtina, quàm quæ tenuiora.*

17. *A flava bile, quæ provenit, neq; dum confirmata eſt, facilimè curam admittit; à pituita difficilius; omnium difficilimè quæ ab atrâ bili pronaſcitur. Imò ſi ab hac inceperit, lethalis eſt quod à cancro exulcerato parum diſtet, teſte Gal. comment. in 24. aph. lib. 4. Hipp.*

18. *Dyſenterici, qui febrem ſibi conjunctam habent, cujus paroxyſmus ſenſim exacerbatur, proſtratis jam viribus, his in paroxyſmi febrilis ſtatu mors imminet.*

Excre-

19. Excretis ſi magnus adſit fœtor, maliq; in-per colores, lethale. Sic & hydrops, & liente-a, & cibi faſtidium, præſertim cum febri, ſuper-eniens dyſenteriæ, malum. Contra appetitus ſi deat, excretio fiat rarior & excrementa appa-ant craſſiora, declinationem morbi inſinuant.

20. Mulieri utero gerenti, ſi teneſmus ſuperve-rit, facit abortum. Hipp. lib. 7. Aph. 28.

21. Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperve-ens bonum. Hipp. lib. 6. aph. 48.

22. Dyſenteriæ fiunt maximè mulieribus & iris humidioribus, ſi hyems ſicca & aquilona-s, ver autem pluvioſum fuerit & Auſtrale, ipp. lib. 3. aph. 11.

23. Mulieres quàm viri, ſenes & pueri, quàm venes in dyſenteria magis periclitantur.

24. Ad curam priuſquam accedamus, de præ-autione hujus mali, præcipuè Epidemici, paucis gendum. Quia verò de ſententiâ Galeni lib. 4. de anit. tuen. cap. 1. inſtantis morbi cavendi, & ejus ui jam ocupavit, ſubmovendi, ſimilis eſt ratio; otiorem præſervandi rationem ad φαρμακευτικὴν eijcimus: hoc facto diſcrimine; in curâ, quieſcen-um; in præſervatione, corpus modicè exercen-um. Ubi & Hip. dictum l. 6. Epid. ſect. 4. T. 20. Sa-itatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum ſſe ad labores: diligenter obſervandum. Nec illud rætereundum, ſummâ curâ decumbentium vi-andam eſſe converſationem, ſicut & loca illa, bi excretiones dyſentericæ ſunt dejectæ. προφυλακτικὴ.

Curatio. 25. *Ad curationem igitur bujus mali quod attinet, eam tribus veluti inſtrumentis peragendam eſſe ſtatuimus, Diæta videlicet, Pharmacia & Chirurgia.*

26. Diætam quod ſpectat (quâ res Medicis non naturales appellatas, more recepto, volumus intelligi) aër, prout morbi ratio poſtulat, ſive ex frigidiore, ſive ex calidiore ad temperiẽ ægro curando commodã reducatur. Victũ concedim⁹, pro horum locorum & corporum naturâ, paulò pleniorẽ, qui tamen pro diverſitate cauſæ, immutandus. In genere commendantur cibi Euchymi, facilisq; concoctionis: tales ſunt, aviculæ montanæ, perdices, merulæ, lepuſculorum item, pullorum gallinaceorum, hædorum & vituli lactentis carnes, piſces ſaxatiles, percæ aculeatæ, &c. Sic elixa ex aceto ova temperatus cibus cenſetur. Oryza quoque & amylum in lacte chalybeato cocta utiliter exhibentur, præſertim ubi ulcera ad cicatricem perducere & glutinare ſtudemus. Conducunt etiam plurimum pyra toſta, ſorba, meſpila, cotonea, ceraſa acida, ribes, mora immatura, cynosbati fructus, maximè conditi, ſicut & Corna, quæ tamen omnia reliquis cibis ſunt præmittenda. Acria, ſalſa, acetum, fructus item fugaces crudi, & olera, tum quoque melle condita ſedulò vitentur.

27. Potus ſit hordei toſti decoctum, quod ſaccharo & pauco cinamomo dulcorari & aromatiſari;

matiſari poteſt, lac item bubulum coctum & chalybeatum: Vinum etiam rubellum, ſed non valdè vetuſtum, haud erit inconveniens. A cereviſijs recentibus, alijsq; fæculentis abſtineatur. Bibantur probè coctæ, & benè defecatæ non multum calefacientes: quibus nonnunquam lamina panis toſti, cui aliquid pulveris nucis muſcatæ fuerit adſperſum, inijciatur.

28. *Exercitia corporis ſtudiosè intermittantur, quieti corpus dedatur, vigiliæ exulent, ſomnusq; modis omnibus invitetur, concilieturque. Ceſſent etiam, quantum fieri poteſt, omnes animi perturbationes, ne humorum acrimonia ullâ ratione exacuatur.*

29. *Diæta hoc modo conſtituta, ad pharmaciam accedendũ, & ſi methodo nobis inſiſtere per Symptomata detur, principio omnium vomitu revellendi humores, ad inteſtina decumbentes, & præſertim in illis, qui facilè vomunt, neque ventrem habent admodum imbecillem, neque cibos extremè faſtidiunt: idque vomitorijs levioribus, qualia apud practicos plurima occurrunt. Miris hic laudibus extollunt Paracelſici Lilium Antimonij citrinum, & panaceam, ritè præparata, quæ vel ſola, hunc tam ingratum hoſpitem ex microcoſmi culinâ exterminare poſſe aſſerunt.*

30. *His peractis, præmiſſa tamen venæ ſectione, ſi conſultum videbitur (quâ de paulò poſt) humores convenientibus remedijs evacuentur.*

Talia ab authoribus recenſentur, experientiâque comprobantur, Rhabarbarum, Syr. roſaceus ſolutivus, Tamarindi, fol. Senæ ſelecta, Mechoaca, omnes myrobalanorum ſpecies, & quæ ſunt hujus generis alia: Scammoneata, helleborata & colocynthis accuratè vitentur. Chymica hîc ſi cui arrideant, huic in promptu ſint Extracta Rhabarbari, fol. ſenæ, Mechoäcæ, &c. quæ tamen omnia flores Antimonij rubei debitè præparati plurimum antecellunt.

31. *Exclusâ per ſeceſſum morbi cauſa, ad ulceris curationem progrediendum. Curatur autem illud extergentibus, ſine acrimonia, deinde ſiccantibus & agglutinantibus.*

32. *Ulcere igitur in tenuibus inteſtinis facto, opera danda, ut primò extergatur à pure, & inhærentibus ſordibus, aſſumendo per os hordei integri decoctum, aut cicerum rubeorum cum ſaccharo, vel aqua mulſa. Quod ſi lenire ſimul dolorem voles, lacte cum amylo & modico ſacchari uteris.*

33. *Si verò in inferioribus & craſſioribus ulcus eſſe deprahendatur, medicamentis per clyſterem infuſis utendum. Hunc namq; proceſſum methodus requirit, ut tenuibus inteſtinis & ventriculo propinquioribus affectis, remedia per os aſſumantur; craſſioribus verò laborantibus, per anum infundantur. Sic enim integrioribus viribus ad locum affectum pertingent.*

Clyſteres

34. *Clyſteres autem parari poſſunt ex aquâ mulsâ, decocto hordei integri, addito ſi videbitur, melle roſaceo, ſaccharo vel melle ſimplici. Quod ſi ſanguis copioſior profluat, addi poteſt ſuccus polygoni, plantaginis, tormentillæ, vel horum aquæ ſtillatitiæ.*

35. *Quod ſi ulcus fuerit ſordidius, ad ea tranſeundum, quæ fortius abſtergant, ut decoctum lupinorum, abſinthij, vel centaurei, cum melle, aut ungu. Apoſtolorum ℥ j. aut Aegyptiaci ℥ ſs.*

36. *Abſterſo probè ulcere, quod ex ſaniei, ſordiumq; paucitate, & ſanguine puriore egeſto cognoſcitur, cicatrix inducenda reſtat ſiccantibus abſq; morſu & aſtringentib⁹, quibus ea quoq; adjungi debent, quæ acrimoniam contemperant. Exhibenda ea ſunt per os, vel per clyſteris tubum infundenda, pro loci affecti ratione, ut antea dictum eſt. Talia autẽ ſunt cornu cervi uſtum & præparatum, balauſtia, malicoriũ, ſumach, capulæ glandium, bolus Armenius, terra Lemnia, vel Sileſiaca ſigillata, ſanguis draconis, Corallia, ſem. Oxalidis, ſanguinariæ, portulacæ, plantaginis, burſæ paſtoris, pſydij, tragacantha, gummi Arabicum, Caro, myva & gelu cydoniorum, Syr. de agreſta, myrtinus, de roſis ſiccis, cum aq. plantaginis aut chalybeata aſſumpta vel infuſa. Commendantur item nuces muſcatæ conditæ, myrobalani conditi, conſerva roſarum vetus, item pullus leporinus Martio captus & vivus in clibano exſiccatus,*

mandibula lucij, tunica interior ſtomachi gallinacei, raſura priapi cervini, aliaq; plura, quæ paſſim exſtant apud practicos.

37. *Inter medicamenta è Chymiatrorum Cryptis profecta primas hîc tribuunt, Laudano opiato à Quercetano & Penoto decantato, Laudano item Theophraſtino in l. 1. Paragrani §.6. deſcripto. Valdè etiam commendant viſcum, cum vino rubeo & aqua plantaginis ſimilive è cornu cervino extractum. Hiſce adjungunt cum plurimis aliis Rubinum Sulphuris, Sulphur Vitrioli, Crocum Martis, magiſterium perlarum, corallorum item rubeorum: quæ licet ſatis ſint efficacia; tamen non temerè; ſed magno cum judicio, ſicut reliqua omnia, ſunt exhibenda.*

38. *In clyſteribus verò hæc adhibenda cautio, ne infuſorum quantitas ſit nimia, ut diutius in inteſtinis contineri poſſint. Nam magnâ copia nimis inteſtina diſtendendo ad ſui excretionem extimulat. Habeatur tamen loci affecti ratio, ut pro diſtantiâ ejus remotiore aut viciniore ab ano, infuſi quantitas accommodetur.*

39. *Epidemicam quod ſpectat, maximè peſtilentialem, ipſius malignitati & venenatæ qualitati accuratè reſiſtendum. Mox igitur à principio, unà cum aliis ſupra enumeratis medicamentis, alexipharmaca & Bezoärdica ſunt offerenda, ut ſunt Theriaca, unicornu, lapis Bezöar, Margaritæ præparatæ, fragmenta lapidum pre-*

cioſorum,

cioſorum,(pro quibus rectius magiſterium eorum ritè præparatum ſubſtituitur,) cum Syr. de limonibus, acetoſitate citri, acetoſo ſimplici, vino granatorum, Syr. Tormentillæ, &c.

40. Haud inutiliter quoque in primo inſultu Theriacam vel Mithridatium papyro vel linteolo inductum extrinſecus ventriculi fundo & umbilico imponitur, totusq; venter inferior decocto quodam Alexipharmaco, & ſimul adſtrictorio calidè fovetur.

41. Quin & unguentis hîc locus eſſe poterit, ex ſevo hircino, pulv. nucis muſcatæ, oleòve ejusdem, ſicut & maſtichino, cui aliquid boni Armeni vel terræ Sigillatæ fuerit admixtum, quo dictæ partes inungantur.

42. Reſtat ut de Chirurgiâ, cujus jam antea theſi 30. facta eſt mentio, aliquantò agamus plenius. In corpore itaq; plethorico, conſtantibus viribus, ætate integra, & reliquis indicationibus conſentientibus, ſaburra ventriculi per vomitum exinanita, Mediana vel Hepatica dextri brachij incidenda, eaq; ſanguinis copia detrahenda, quæ vires ægri non proſternat. Chirurgia

43. Quod ſi verò decumbens Phlebotomen admittere nolit, cucurbitulis vel cum, vel ſine ſcarificatione, prout Medico conſultum videbitur, vel ſaltem frictionibus ad partes ſuperiores peractis, aut validis brachiorum ligaturis revulſioni incumbatur.

COROLLARIA.

I.

Quod Practici ferè omnes inter Pathognomonica recenſent ſigna; Dolor ſi infeſtat Hypochondria, & partes ſupra umbilicum, gracilium inteſtinorum ulcus denotare; ſin dolor hypogaſtriacis infeſtus ſit partibus, craßiora inteſtina ulcere teneri: ſuadente ſic Anatome, infidum cenſemus ſignum.

II.

Cùm Scammoneatis, Colocynthide, Elleboro & id genus alijs, malignitate præditis medicamentis præſtantiores Medici, in Dyſenteriâ ægris interdicant, quæritur an rectè faciant plurimi practicantum, qui Elect. Roſatum Meſue, Diaphœnicon, confect. Hamech, pilulas Cochias & ſimilia, laborantibus propinant? Negatur.

III.

An clyſteribus pro abſtergendo & conſolidando inteſtinorum ulcere, pinguia & oleoſa rectè immiſceantur? Non videtur.

DISPV-

Diſputatio XXI.

DE LVMBRICIS, DRACVNCVLIS ET CRINONIBVS,

Quam defendere annitebatur
PAVLVS DESIDERIVS
FOSSIVS Danus.
V. Calend. Maij.

THESIS I.

INter alia, queîs genus humanum eſt obnoxium, mala, vix cogitando magis dirum poſſumus aſſequi, quàm ſi non tantum vitâ perfunctos; ſed nos etiamnum viventes, eſcam fieri Vermium aſpiciamus.

2. Quos definimus eſſe animalcula in corpore humano, ex putridis ac pituitoſis humoribus, calidi nativi ope, prognata. Hæc vel in interioribus viſcerum cavitatibus, vel etiam in habitu corporis produci obſervatum fuit. Definitio.

3. In viſceribus autem internis compluribus licet vermes naſci contingat locis, cerebro nempè, auribus, naribus, dentium cavernis, pulmonibus, ventriculo, inteſtinis, renibus, veſicâ, matrice, ut quidem videre eſt apud Benivenium de abdit. c. 77. 85. & 88. Braſavolam l. 3. aphor. 26. in comm. Foreſt. l. 9. obſ. 2. & l. 18. obſ. 19. Fernelium lib. 6. pathol. cap. 10. Hollerium lib. 1.

de morb. internis cap. 1. & alios complures; nos tamen reliquis in præſentiarum miſſis, inteſtinalium lumbricorum naturam adgrediemur diſcutiendam.

Different. 4. *Variæ horum ſunt differentiæ apud Authores Medicos, quarum quædam à formâ, nonnullæ à colore, aliæ à loco, & tandem quoq; à materiâ depromuntur.*

5. *Formæ ſiquidem ratione alij lumbrici longi & teretes dicuntur, Hippoc. l. 2. prorrhet. l. 4. de morb. & alibi* ἕλμινθας στρογγύλας *vocat: hi lumbricis terreſtribus haud adſimiles exiſtunt, palmumque longitudine rarius excedentes: Alij lati, tæniæ nonnullis dicti, tres interdum cubitos longitudine æquantes; nonnunquam incredibili longitudine Plinio recenſente, 20. cubitos ſuperantes, Hippoc.* ἕλμινθες πλατεῖαι *dicti: utrosque interdum abſolutè* ἕλμινθας *idem nominat: Tertiam lumbricorum ſpeciem* ἀσκάριδες, *ani tineas, appellant: à tineis in caſeo aut larido generatis minimùm quod ſint diſtantes.*

6. *Coloris ratione differunt, dum alij albicant, alij rubent, alij maculis aſperſi nitent, idque pro materiæ unius ſolitariæ, vel alteri immixtæ conſtitutione: de quo poſtea. Similiter & loco diſſident: primi namq; in Ileo inteſtino, ſecundi in Colo, adjacentibusque; tertij in longanone formationem ſuam indipiſcuntur.*

Materiæ

7. *Materiæ tandem reſpectu, alij ex putredine unius, vel plurium humorum; alij ex propagatione, originem ducunt: vel ſi cum Paracelſo l. 2. Paragrani §. 1. & 2. loqui mavelimus; aut ex nutrimentis, aut ex mineralibus, aut elementatis originem ducunt: de quibus omnibus in progreſſu plenius agendum.*

8. *Sic & in habitu corporis magna vermium eſt diverſitas, dum alij ſub cuticula, hujusque poris; alij paulò profundius in partibus membranæ carnoſæ, ipſisq; interdum muſculis naſcuntur.*

9. *Illius generis ſunt pediculi, Syronesque; hujus Dracunculi & Crinones, Vermeſve capillares. Prioribus nunc miſſis, poſteriorum naturam paulò penitius rimandam eſſe jure merito exiſtimamus.*

10. *Definitionem priuſquam proponamus, Nominis, Hippocrati quippe ignoti, Galeno nunquam viſi, explicationem præmittendam eſſe cenſemus. A populis itaque, quibus* ἐνδήμιον *ferè malum, varijs, variè quoque denominatur: quidam illud* Bahren / *à motu; alij* die lauffende Bahren / *à motus velocitate; nonnulli* die Mitteſſer / *à roſionis ſenſu; & ſi in manibus, brachijs vel pedibus exulceratum oboriatur,* den Haarwurm / *à causâ putatâ, indigitari volunt.*

11. *Definiendos autem tam Dracunculos, quàm Crinones putamus, animalcula ſubcutanea, è vitio excrementorum tertiæ concoctionis,*

& regionis inſuper proprietate enata, quæ totum, vel partem extremis cruciatibus exagitant, & ſuo nutricatu defraudant.

Definitio. *12. Duum hi ſunt generum: Unum pituitoſam materiam lenteſcentem, putridamq; malignitatem ab ambiente contrahentem pro continente agnoſcit cauſa: quam dum natura, ſui conſervatrix ſtudioſiſſima, majori & ulteriori à putredine vindicare ſatagit, animatam reddit: hæc poſtmodum majoris minorisvè copiæ ratione, incrementum quoq; diverſiſſimum acquirit.*

13. Hoc illud eſt, quod Galenus l.6.loc.aff. c. 3. itemq; in definitionibus: Paulus quoq; ab Ægina Medicus lib. 4. c. 54. aliorum potius ex relatu, quàm propriâ αὐτοψίᾳ, *Dracontium vel Dracunculum nominant, quod per ſinuoſos anfractus, draconis aut ſerpentis in morem ſeſe divaricet. Avicenna Fen 3.lib.4. Canonis tract.2.c.21. ſub nomine Venæ Medenæ, à loco forſan natali, ex propriâ experientiâ, proponit: Aliter Haliabbas l. 9. Practicæ c.67. Venam nempè ſanioſam: Razes 7. ad Almanſ. c. 24. & l.12.c. 2. Venam civilem: Albucaſis l. 2. c. 91. Venam cruris: Abynzoar l. 2. tract. 7. cap. 20. Venam Medianam, dicere, ſinguli ſuas ob cauſas, voluerunt. Germanicam hîc appellationem, utpote re ignotâ, ignotam quoq; arbitramur: Analogicè tamen* Schnadernſpulwurm/ *dici poſſet.*

Alte-

14. *Alterum, materiam itidem pituitoſam; priore tamen minus lentam, & aliјs ferè quoq; humoribus immixtam, magiſq; ſiccam, pro cauſâ materiali agnoſcit: quod duas etiam habere differentias obſervatum fuit, quarum prior locis articulis vicinioribus maximè infeſta, tumorem cum dolore mordicante, & lituras ſubnigricantes, ſcorbuticis non diſſimiles, agnoſcit, quæ & nonnunquam in ulcera Chironia atq; fiſtulas faтiſcunt: quod dum fit, reliquum corpus à doloribus immunitatem aſſequitur. Noſtrates tum* dem *Vermum* den Harwurm / *quidam Medicorum Vermes capillares nominat. Poſterior tumorem neſciens, doloribus priori aſſimilatur, quæ & cum laſſitudine, & imbecillitate virium, inſignem quoq; ἀτροφίαν habet coniunctam.*

15. *Ad hanc poſteriorem quoq; commodiſſimè refertur Infantilis illa cum ψώρα conjuncta atrophia, doloribus lancinantibus, veſpertinis & nocturnis potiſſimum horis, miſellis & tenellis corporibus, mirum in modum moleſta, noſtratibus* die Bernegrundt *indigitata; quod & conjuncta ſigna pathognomonica, & curandi quoque ratio noſtratibus uſitata, ſatis arguunt.*

16. *Cauſæ lumbricorum προηγέμεναι, de ſententiâ omnium, ſunt humores cœnoſi, mucoſi, viſcidiq;, qui ſi putredinis labem antè ſubeant atq; animentur, quàm Chylus à jecore affugatur, vel longi, aut lati progaaſcuntur lumbrici: in lon-* Cauſæ.

ganone

ganone verò ſi tandem putredinem contrahat materia, Aſcaridum hinc copia luxuriat.

17. *De tempore & modo generationis diſceptatur: nos cum Hippocrate l. 4. de morbis, latos in ipſo Embryone gigni aſſerimus, quo poſt in lucem edito, increſcenteque, & ipſe lumbricus pariter incrementum ſumit, ut & cum inteſtinis nonnunquam æqualis evadat: Longi ſimiliter, eodem Sene noſtro monente, paribus ex cauſis, in Embryone; non tamen ſolo; ſed etiam in paulò adultioribus, gignuntur.*

18. *Cauſarum* προκαταρκτικῶν *accenſentur numero ingluvies, cruditatis mater, fugacium maximè fructuum per opôram; item lactis, caſei, ſimiliumvè putredinem facilè ſubeuntium intemperatior in eſum aſſumptio. In Embryone verò eſt ſanguinis materni cœnoſitas, & vermibus producendis aptitudo.*

19. *Ex mente Paracelſi, hoc loco præ omnibus accurati, Vermes triplicem Generationis materiam agnoſcunt, Nutrimentalem, Mineralem aut Elementatam. Ex nutrimentis triplex vermium genus naſcitur: E crudis, lumbricis terreſtribus perquam ſimiles: ex Chymoſis, albi, parvi & oblongi, propriiſſimè Germanis* die Spulwürm/ *dicti: Ex Excrementoſis, Candidi vel ſubflavi exiguis etiam pedibus donati. Ex mineralibus in Microcoſmo à naturâ ſuâ abeuntibus in inteſtinis (& alibi enim proveniũt) longi atq; rubicundi*

gignun-

gignuntur. Elementata porrò materia ſic ſe habet, ut vel externo errore in cibo vel potu ſperma vermium aſſumatur, quod ad digeſtionis vel perfectionis ſuæ tempus intus aſſervatum, tandem animatur; vel etiam intrinſecus ex propagatione vermium generetur.

20. *Cauſa* προηγουμένη *in Dracontijs eſt viſcidior materia in cruribus vel brachijs collecta, malignitatis particeps: Crinonum verò ſunt humorum ichores, pro vario temperamento, varij: omnes tamen malignitate imbuti.*

21. *Procatarcticis annumerari poſſent eædem, quæ ſupra theſi 18. fuerunt enumeratæ: præcipuas tamen hîc obtinent Regionis proprietates, ſic Dracontium Arabiæ, Ægypto & Indiæ proprium faciunt authores: Crinones Septentrionalium orarum ſunt* ἐνδήμιοι: *in hiſce numerantur ſi ſcabioſis pedibus, tibi alia lanea ſuper inducantur, hujus fila ulcuſculis hærentia, poſtmodum animentur.*

22. *Lumbricorũ ſigna alia generalia, non nulla ſpecialia exiſtunt. Generalia quidem, magis tamen prioribus duabus differentijs propria ſunt: Oculi album in croceum vel pallidum mutatum, facies pallida, per intervalla rubore præternaturali ſuffuſa, ſalivatio de nocte in ſomnis plurima, dentiumq; ſtridor, tremor, narium pruritus, fœtor anhelitus, tormina, diarrhæa, nauſea, vomitus,* Signa.

vomitus, atrophia, febres nonnunquam erraticæ, palpitatio cordis, Syncope, Epilepſia.

23. Specialia ſunt ſubſequentia: Teretes, tuſſiculam excitant ſiccam, ſingultum, in dormientibus tremorem, & alios motus inordinarios, ſomnumq; hinc turbulentum; ſimiliter & motum maxillarum in ſomno ad inſtar comedentium aut lactentium; & pleraq; alia præcedenti theſi enumerata.

24. Latorum indicia ab excretis potiſſimum depromuntur: quæ ſunt cucumeris ſeminibus admodum ſimilia: appetitus quinetiam ſæpiſſimè adeſt Caninus: ſputa interdum copioſa: dolor modò in dextris, modò in ſiniſtris, prout impetu ſuo diverſas in partes incumbit.

25. Aſcaridũ ſunt indicia, pruritus in ano moleſtiſſimus, & tineæ excretis alvi undiq; aſperſæ.

26. Dracontij ſigna ab authoribus proponuntur Dolor in cruribus vel brachijs ſubitò exoriẽs; de hinc uno in loco exulcerans, unde dracunculi caput, venæ ad inſtar exſiccatæ, ſeſe exſerens conſpiciendum ſe præbet, quo attracto, præcipuè dirupto, dolor intenſiſſimus excitatur.

27. Crinones varijs ſe produnt indicijs: Dolore utpote rodente, præcipuè in dorſo & lumbis, qui quidem in una licet parte utplurimum radicatus ſit; ibidem tamen fixus haud permanet, ſed vagus, momento ſæpius univerſum corpus perreptat. Is quoq; noctu magis quàm interdiu exacerbatur.

batur. Febris adeſt aut lenta, aut nulla. Alvi excrementis, uti & urinis, vermiculi tineis non abſimiles permiſcentur: alvi etiam feces plerumq; duriores conſpiciuntur. Curationem etiam aliam, quàm Antipharmicam propriam nullam admittit. Empiricorum hoc eſt ſignum, Terræ lumbricum dolenti loco impoſitum, plantiſve pedum ſuppoſitum, mox emori, contabeſcere vel corrugari animadvertunt.

28. Exulcerati Crinones lancinante & rodente in parte affecta dolore, reliquo corpore à doloribus libero, ſe manifeſtant.

29. Lumbrici longi neutiquam negligendi, cum incrementum ſi ſumant, ventriculum arrodere, nonnunquam exedere, & faucibus exire deprehendantur, quod dum fit, mortem inferunt. Eoſdem quoq; cum alvi excretione prodire, morbo in judicationem tendente, prodeſt. Hipp. 2. progn. §. 18. in Coäc. & l. de criſibus. Ex eodem quoq; notandum, Mulieres quæcunq; jejunæ dum ſunt, ſubbilioſa vomunt per multos dies, cum neq; uterum geſtent, neq; febricitent, eas interrogare oportet, an lumbricos rotundos ſimul vomant. Si enim hoc non confitentur, prædicendum eſt ipſis, futurum eſſe. 2. porrhet. Sic & lumbrici vivi per alvum dejecti minus ſunt periculoſi, quàm mortui. Extincti enim lumbrici extremam putrefactionem & venenoſitatem humorum in alvo contentorum oſtendunt, ut Prognoſt.

monuit

monuit Avicenna. Matrix lumbricorum poſt eorundem expulſionem reſidua, recidivam parit.

30. *Latorum lumbricorum hæc eſt natura, dicente Hipp. l. 2. de morb. ut ſuâ ſponte foras non prodeant, ſed omiſſâ & neglecta curatione, mortem quidem non inferentia, ad ſenectutem uſq; comitentur.*

31. *Aſcarides, à fonte caloris, & reliquis viſceribus magis remoti, atque minores, curatu etiam faciliores exiſtunt.*

32. *In Dracontio & Crinonibus hæc obſervatione comprobata prognoſtica, quod periculoſa licet exiſtant, curationem tamen methodicam minimè reſpuant. Ulcus verò adhuc ignorantia, quàm eidem implicata quæ ſunt, facilius reſtitui: Adhoc ſi ſudor de facili provocetur, magnam ſalutis & reſtitutionis in integrum nobis id ipſum ſpem excitare: ſed neglecta atrophiam, gangrænam & ſphacelum ſæpiſſimè conſequi.*

Curatio. 33. *Curatio vermium diætâ & pharmaciâ abſolvatur. Diæta ſit talis, quæ vermium generationi fomentum nullum ſuppeditet; unde pituitoſa, & citæ putredini obnoxia omnia ſeduló evitanda. Exhibenda autem euchyma καὶ εὔπεπτα, qualia ſuperius aliquoties ſunt enumerata: quæ & attenuantibus detergentibusque commixtis alteranda.*

34. *Pharmacia tota in expulſione horum eſt occupata, quæ in prius enecatis, vel etiam vivis pera-*

ragitur : idque intus exhibitis : aut umbilico npoſitis.

35. Enecant vermes amara quæ ſunt pleraque, onnulla etiam acida, vel inſipida. Amara, ut bſinthium commune, ſantonicum & ſeriphium, ipini, centaurium, abrotanum, chamædrys, arrubium, ſem. nigellæ. hordeum, &c. cornu ervinum, corallina, ſem. portulacæ, & id genus lia quamplurima. quibus tamen omnibus palam præripiunt Chymica ſubſequentia Ext. Zeoariæ, calami aromatici, Ol. Corticum Auraniorum, Spir. Abſinthij, vitrioli, Ole. Sulphuris, al. Abſinthij, Card. benedicti, vitrioli, & unium illud verum omnium Vermium in Microcomo Antipharmacum, macrocoſmi inteſtina in egulâ ignitâ exſiccata, pulveriſataque, & in iquore convenienti exhibita : confeſtim namque d ipſum reliquos inhærentes exigit è corpore.

36. Vivi foras propelluntur per os exhibitis lurimum interanea lubricantibus, ut butyro iquefacto, Ol. copioſo: adjuvatur illud lacti dul-i fumanti adhuc inſeſſu.

37. Foris impoſitis, inunctisque vel enecantur, vel propelluntur Aloë, felle taurino, Ol. Philoophorum, Balſamo ſacro, Vng. de Arthanita, &c. umbilico & hypogaſtrio perunctis.

38. Aſcarides expugnantur magis topicis, quæ vel in forma clyſmatis, vel etiam ſuppoſitorij ex intea enumeratis conformantur.

39. *Dracunculi curatio, ordinatâ diæta, ex Pauli Aëtij l.4.tetrab.ſermo.2.c.85 & aliorum etiam præſcripto, arrepto capite foras prominente, ſubtili id ligno alligetur, quo paulatim protracto, rotatoq;, tandem integrè extrahitur, ægerq; citra aliorum medicamentorum opem ſanitati reſtituitur.*

40. *Crinones exſtirpamus, diætâ ut prius, præſcriptâ, quæ tamen Antipharmacis, diureticis, & diaphoreticis medicata reddenda: quo & eâdem proëgumena hujus mali cauſa exhauriatur.*

41. *Pharmacia, præmiſſis univerſalibus, eradicativè purgantibus tamen ſedulò evitatis, quæ nimium agitando materiam malignam, ſymptomatibus incrementum præberent, & ex ſyncope momentaneâ hîc aliàs non infrequenti, ſempiternam efficerent: Alexipharmacis, & antipharmacis huic malo totâ ſubſtantiâ appropriatis, complebitur.*

42. *Id genus Antipharmaca hactenus practicis adinventa, ſunt præcipuè Lumbrici vel inteſtina terreſtria, variè à varijs hucusque exhibita. Pleriſque tamen numero IX. eloti & contuſi cum vino vel alio juſculo manè propinantur, ægroque cooperto ſudor poſtmodum provocatur. Hoc indies iteratur, numero tamen ſingulis vicibus per novenarium adaucto, quoad ſanitas priſtina recuperata videatur.*

43. Mi-

43. *Mihi verò jucundiùs videtur eſſe medicamentum, ſi pulvis eorundem præparatorum, vel etiam millepedum vino ablutorum, exſiccatorum, & poſt in Alcohol redactorum cum Aqua Cardui benedicti, ſimilive, ad modum itidem priorem exhibeatur.*

44. *Hæc dum aguntur, nec topica negligenda, quibus pori cutis aperiantur, Crinonesque foras evocentur. Inter hæc vulgaris eſt fotus aquæ, plus quam tepentis, cum inſequente ſtatim illitu ex melle & farinâ frumentaceâ: id namque capitula crinonum ſubnigricantia foras prolicit, quæ aut volſellis avelluntur, novaculave abraduntur.*

45. *Non longè hinc diſcrepat Duditiana illa ep. 27. Scholzij perſcripta curatio. Impoſito ægro in labrum aquæ calidæ, huic injiciatur panis in micas friati m. j. Cineris ex ligno querno parum: Eloto ægro, aqua percolata, panis in maſſam compingatur: quæ tandem in diverſa diſtracta manibus, ſubtiliſſimorum pilorum vim oculis magnam primo die offeret: altero minorem, uſque dum convaluerint, nulli amplius appareant.*

46. *Similiter in balneo humeris atq; brachijs farinâ aceto mixtâ perlitis, vix peracta unctione & ablutâ, ſtatim eminent ex cute diverſis locis tubercula quædam puſilla, ut papaverina grana, cinericei coloris: Crinonum hæc capita habentur: quæ ſtatim cultello abradenda.*

47. *Tumor ſi adſit, emollientibus, malignitatemq; reprimentibus ſuppuretur; id fiet Rad. liliorum alborum ſub cineribus coctis, & cum Theriacâ in cataplaſma redactis.*

48. *Suppurato Cicutæ aquaticæ radicem ſtupâ lini involutam & ſub cineribus percoctam, contuſam, ac cum melle in conſiſtentiam ungu. redactam imponunt, quo mellis dulcedo vermes proliciat, cicutæ venenum eoſdem interficiat. Fel etiam taurinum ulceribus hiſce inſtillatum, linteisque madidis in eodem ſuper impoſitis, non minus efficax deprehenſum fuit. Quidam Rad. ſigilli Salomonis aquæ aut cereviſiæ incoctis idem perficiunt: Hyoſcyami etiam ſemen adhuc vireſcens conquaſſatum, & impoſitum, vermes interficere fruſtulatimq; prolectare, obſervatum.*

49. *Crinones foras provocatos cunctos ex tumore evanido depræhenditur: quod tamen alij ſic cognoſcunt: in labrum aquæ calentis affectâ parte impoſitâ, huic faſciculus ſpicarum ſiliginis vacuarum ſuperficie tenus alligatur, eis crinones prorepentes inſtar lanæ albæ adhæreſcunt: quod iteratis vicibus fiat, dum nulli amplius egredientes conſpiciantur. Dehinc reliquorum ulcerum inſtar chirurgico auxilio conſolidetur.*

Diſpu-

Diſputatio XXII.

DE RENUM ET VESICÆ CALCULO.

Ad cujus poſitiones reſpondebat,

IOACHIMUS URSINUS, Stolpenſis Pom.

4. Non. Maij.

THESIS I.

C*Elebrioribus morborum internorũ generibus defuncti hactenus: colophonis nunc loco de Renum & Veſicæ malo, ſabulosâ puta utriuſq; & calculosâ conſtitutione perſtringere attentabimus,*

2. *Licet enim plurimis humani corporis in locis, capite nempe, palpebris, pulmonibus, corde, Epate, veſiculâ fellis, Ventriculo, inteſtinis, matrice, & articulis, calculum generari omnibus in confeſſo ſit Medicis: nullibi tamen frequentius crudeliúsve ſævire, quàm in Renibus & Veſicâ, experientiâ cotidianâ ſic edocti, atteſtamur.*

3. *Reliquis igitur jam miſſis, de Renum & Veſicæ calculo, ejus naturâ, ſignis, curandiq; ratione, in hac arenâ agere pro virili annitemur.*

4. *Hippocratis itaque & Galeni veſtigia prementes,* Νεφρίτιν *&* λιθίασιν *AEquivocè his nonnunquam uſurpari, monendum arbitramur: illud*

enim interdum pro quovis renum affectu; hoc pro quavis calculi origine dictum accipiunt: Propriè tamen, & dum diſtinctius loquuntur Νεφρῖτιν *de calculo renum,* λιθίασιν *de calculo veſicæ eloquuntur. Videatur Hippoc. l. 6. Epid. ſect. 3. §. 15. l. 3. aphor. 26. 31. l. 4. aphor. 79. l. 6. aphor. 11. l. 4. de morb. l. de vulneribus capitis, & Galenus in commentarijs dictorum locorum, l. 6. de loc. aff. c. 3. & alibi paſſim, de quibus in ſequentibus.*

Definitio. 5. *Definiri poterit Calculus ſubſtantia præter naturalis prædura ex craſſo & viſcido humore, calore renum vel veſicæ ijſdem in partibus condenſata.*

6. *Conglobatur namq; is ipſe in renum, non ſolùm cavitate & ſinubus: ſed intimiori quoq; ſubſtantiâ nonnunquam; dum nempe ijdem cum ſanguine alimentario, craſſioris & lenteſcentis pituitæ quiddam attrahunt; in quam calor poſtmodum continuò agens, lapideſcere hanc demum facit: plurimum in cavo eorundem id evenit: Veſica verò non niſi in cavo hanc ipſam materiã accumulat. Gal. l. 6. Epid. ſect. 1. §. 6. in comm.*

Differentiæ. 7. *Differentiæ hujus vel à loco, vel à motu, vel alijs etiam ab accidentibus deſumi poſſunt: loco, dum in ſubſtantiâ vel cavitate renum fixus,* νεφρῖτις*, vel in veſicâ,* λιθίασις *dictus, firmatus conſiſtit: motu, cum vel ijſdem adhuc partibus hæreſcens; vel etiã in ureteribus jam vagus, urinæ red-*

æ redditionem aut mictionem dolorificis cum ruciatibus præpedit. Ab accidenti vel acceſſo-ius, vel hæreditarius etiam cenſetur.

8. Προηγούμεναι ejuſdem cauſæ ſunt Intenſior ut- plurimum renum aut veſicæ calor; interdum ta-nen etiam mitior, morâ hunc ipſum defectum vel propter meatuum anguſtiam, vel etiam fa-ultatis expultricis languorem, ſarciens: craſſus tidem & viſcoſus humor in dictas partes cum anguinis ſero pariter deportatus: pituita is ſo-et exſiſtere, interdum ſola, nonnunquam aliis quoq; humoribus immixta, ut quidem videre eſt apud Gal.l.de ren.adf. & Hippoc.l.4.de morbis; colores in ſabulo vel calculo conſpicui rei hujus indicium præbent. Cauſæ.

9. In dictis autem humoribus ſi abſit viſcoſitas, aut quoq; expultrix in renibus aut veſica ſit valida; non calculus, ſed ſabulum & arena foras ejicitur.

10. Nec illa, quam Theophraſtus adfert, Tartarus nempe coagulatus, hinc quicquam differt: ipſe licet contradicendi ſtudioſus, differentiam inferre conetur.

11. Huc & ætatis, & ſexus, & habitus quoque corporis eſt referenda diverſitas: Cælio namq; Aureliano l.5.de Chron. paſſ.3.atteſtante, Viri inflammatione renũ magis tentantur, quàm mulieres; ætate graviores, quàm pueri; habitu macilentiores, quàm obaſiores. Similiter docente

 Hippo-

Hippocrate 3. aphor. 26. lib. 4. de morb. Galen. l. 2. naturâ hum. §. 11. l. 6. Epid. ſect. 3. §. 15. l. 2. prognoſt. §. 74. pueris λιθίασις, ſenibus Νεφρῖτις eſt familiarior.

12. Προκαταρκτικοῖς *accenſemus cauſis, ſuadente id ratione, experientiâ comprobante, cibos potuſq; craſſi & lenti ſucci copiam ſuggerentes inſuperque renibus calidiorem intemperiem inferentes: tales ſunt lac, caſeus, lacticinia, Oryza, amylum, panis azymus, ſubcinericius, recens & à clibano adhuc calens; carnes magnorum animalium, præcipuè fumo induratæ; ſic & porcellorum, hœdorum, agnorum, inprimis natalibus ſuis adhuc proximorum: capita quinetiam, interanea & pedes animalium plerumque; aviculæ aquaticæ: piſces majores, lentoq; ſucco ſcadentes, teſtacei itidem & cartilaginei omnes: cunctaq; leguminum genera, item olera & fructus fugaces. Gal. l. 3. aliment. fac. cap. 15. 16. 17. lib. 6. Epid. ſect. 3. §. 15. lib. 6. Epid. ſect. 4. §. 10. lib. de cibis boni & mali ſucci pluribus capitibus, & alibi paſſim.*

13. *Sic vinum quoq; immaturum, aut craſſum & nigrum, aut juſtò etiam calidius, quo pertinet vinum uſtum, quod Spiritum aliàs vocant, muſtum: cereviſia parum bellè cocta, minuſq; defæcata, recens item, ex polentâ plus ſatis torridâ, & quod his locis plurimùm in uſu eſt, ex aquâ octiduum jam & plus eò aſſervatâ, putreſcente*

tandem

tandem atque hinc craſſeſcente confecta, ſicut etiam ex aquâ limosâ vel plumbeos etiam per tubulos, interdum quoq; longius, deducta. de quo Hippoc. l. de aëre, aq. & loc.

14. *Quibus adcenſentur omnia, quæ renes calefacere ſunt adfecta, qualia ſunt aër ambiens intemperatior, indumenta plus ſatis calefacientia, labor præcipuè incurvo ſubitus corpore, curſus, equitatio, præcipuè à Sole facie aversâ, percuſſiones in regiones renales, &c. Otium quinetiam nimium, & Venus petulca, inprimis pendula, decubitus in plumis ſupinus, animi vehementiores commotiones, &c. quæ apud authores prolixius videantur.*

15. *Hiſce cauſarum enarrationibus priuſquam nunc finem imponamus, Galeni hîc verba ex l. 3. alim. fac. cap. 16. quæ cauſas præcipuas & generationis modum beliſſimè proponunt; ante recenſenda putamus, quæ ſic habent: Calculus ex omnibus craſſi ſucci edulijs provenit in renibus, cum hi calidiores juſtò fuerint, ſive ob naturalem intemperiem, ſive ob alium quendam affectum ipſis poſtea innatum, non tamen pro caloris modo meatuum tranſitus latos habeant. & l. eodem, cap. 17. Calculi in illis corporibus naſcuntur, in quibus ſuccorum craſſities cum ardenti calore eſt conjuncta. Videatur etiam lib. 7. κτ̓ τόπους cap. 9.*

P 5 Nec

16. Nec hîc ſilentio involvendum, paradoxon illud Fernelianum l.6.patholog.c.13. propoſitum, quo ex particulari quápiam obſervatione, omnem λιθίασιν in renibus rudimentum traxiſſe, univerſaliter concludere annititur.

Signa. *17. Signorum quædam incipientem modò calculum, nonnulla auctiorem eundem indicant: Incipientem quidem in renibus gravitas lumborum, & dolor ad oſſis ſacri regionem ſuperiorem, ſabulumq; nonnunquam cum urinâ emiſtum nobis demonſtrant: auctiorē verò eundem, dolorum major acerbitas ſpinæq; ad renum ſitum præ dolore ad curvaturam ineptitudo: ſanguinolenta ſæpius, inprimis poſt equitationem, exercitiumve vehementius, veſicæ exoneratio; Crurum, interdum unius, ſæpius utriusq; torpor; quæ ipſa ſymptomata per paroxyſmos, moto quippè calculo, ingraveſcunt: uti etiam magis infeſtant aſtricta alvo, & ventriculo cibis turgido: ſic paroxyſmorum quoq; tempore vomitus interdum pituitoſus; doloribusq; increſcentibus æruginoſus ſubſequitur: Gal.l.6.Epid.ſect.1. §.5. lib. 6. loc. aff. c. 3.*

18. Diſtinctio Nephritidis à Colica paſſione quibus ſignis ineunda, cùm plurimum illa faciat ad curam, ex diſputationis 19. theſi 8. facilè perſpicitur, quæ horſum accommodentur.

19. Incipientis adeoq; minuti etiamnum veſicæ lapidis indicia ſunt, in pube & perinæo vaga quædam

uædam titillatio, crebriorq; ad mejendum inſtiatio: increſcente verò gravans, præſertim er loca acclivia dum ambulandum, dictus in lois dolor: mictio crebreſcens, ſæpiſſimè tamen in iedio interrupta, quæ tamen reſupinato corpore, iox denuò redintegratur: veſica manifeſtè ſæius protuberat: dolor interdum glandem, ſæpius niverſum penis ductum exercet: Urina excernitur alba, craſſa, ſubjugalis, cum ſedimento puulento, nariumve muco aſſimili. Hipp. *l.* 4. *de norb. & in Coacis prænotionibus.*

20. Fucum & impoſturam Uromantum hîc rætèrire nolumus, qui ſabulo in matulâ rubeſente apparente, mox calculum renum; eodem ilbeſcente, veſicæ, indicari exiſtimant: neſcientes quippe ſæpius poſt dolores renales modò albicanes, interdum cinericios, flaveſcentes, aut rubeſcentes calculos; ſimiliſve coloris ſabulum cum otio excerni.

21. Nephritis adultos, lithiaſis pueros magis Prognoſt. *infeſtat: quorum cruciatibus ni tempeſtivè medicina quæratur, vires proſternendo, vigilijs, vomitibuſq; æruginoſis, manifeſtum intentat periculum. Supervenientes verò nephriticis hæmorrhoides, bono ſunt: ſic etiam rarius nephritidem incurrunt, qui lubricitati alvi & vomitibus frequentibus ſunt obnoxij.*

22. Ventricoſi quoq; rarius hoc malum incurrunt: ſæpius conflictantur eodem, quibus hære-

ditario

ditario quodam jure vel alio quopiam errore: Epar & renes ſunt calidiores, ventriculo interim debiliori, cruditatibus laborante: mulieres item minus lithiaſi moleſtantur quàm viri.

23. Renum calculi minori cum negotio quibuſdam liquantur, quàm veſicæ: quod univerſim tamen pro aſſerto non accipimus; ſed limitatione adhibitâ: ſic leviores ac rotundi minoresq; asperis, oblongis & majoribus faciliùs educuntur.

24. Nephritici dolores quos exercent frequentius, hi minus affliguntur, quàm alij, qui nunquam vel rarius eoſdem antea pertulerunt.

25. Veſicæ calculus ſi magnus ſit, non niſi ſectione, quorundam de ſententiâ, exterminatur; cujus veritatem poſt videbimus.

Curatio. *26. Curationi Calculi & præſervationem ex Galeno adjungendam cenſemus. Hæc itaq; conſiſtit in eo, ut humores minimè generentur viſcidi, & ipſa renum ac veſicæ corpora mollia aſſerventur, quò ita facilior atq; liberior humoribus per eadem ſit tranſitus: ſic namque docente eodem l. 6. Epidem. ſect. 1. §. 6. calculus nunquam generabitur.*

27. Humorum id genus viſcidorum generatio præpedietur, ciborũ, ante in cauſis procatarcticis enumeratorum, evitatione: aſſumantur contra Euchymi καὶ εὔπεπτοι, inter extenuantes & impinguantes medij, ut dicit Galenus l. 6. de tuendâ ſa-

lâ ſanit. c. 11. tales ſunt juſcula carnium, pullo- rum contuſorum, caro vitulina, vervecina, ca- preolorum, lepu[illegible]lorum, palumborum, turtu- rum, turdorum, &c. quæ paſſim apud Galenum ibris de ſuccorum bonitate & vitio, & de ali- nentorum facultatibus videri poſſunt.

28. Quibus omnibus ſi aromatica quædam vis afflanda, non diureticis & valdè calefacienti- bus Galeni exemplo l. 5. de ſanit. tuenda c. 5. hoc præſtandum: ſufficiant Cinamomum, macis, ſem. aniſi, fœniculi, Rad. glycyrrhizæ pulvis, parciſſimè adſperſa.

29. Potus ſit Cereviſia clara, probè cocta, qua- lis Embecenſis, Torgenſis, interdum etiam Roſto- chienſis, ptiſanæ decoctum, lacryma quinetiam betulæ, quam primo vere perforata fundit, quam miris hic laudibus plurimi efferunt. Frigidiori- bus etiam corporibus Vinum tenue & Oligopho- rum, vel hydromel etiam Litvanicum concedi poteſt.

30. In cæteris rebus non naturalibus omnibus mediocritas ſervetur, aër ambiens ſit clarus, non calidus admodum, neq; frigidus: ſomnus ſit par- cior: motus vehementior corporis nullus, deam- bulatio ſufficiat: nec tamen corpus interim per- petuâ quiete marcidum reddendum: alvus ſit lubrica, quod natura ſi negligat, arte procure- tur; Venus & animi pathemata in exilium igantur.

Eadem

31. *Eadem & in Curatione diæta ſervanda hoc ſaltem attendendo, tempore paroxyſmi cibationem parciori manu ineundam, tum quod ventriculus etiam tum languidus, concoctionem minus peragat; tum quod diſtentus, renes comprimat, atq; ſic dolores duplicet: lubricantia tum maximè commendantur, inter quæ Oleum copioſum vel primas tenere, obſervatum fuit.*

32. *Pharmaciæ principium optimo cum ſucceſſu ab injectione clyſteris ex decoctione rerum emollientium, &c. cum addito Anethino Oleo, incipitur: quæ, ſi proficua deprehendatur, iterari poterit.*

33. *Dehinc plethoricum ſi ſit corpus, vel inflammationis notæ ſi præſto ſint, Vena cubiti aut poplitis lateris dolentis, pro circumſtantiarum diverſitate, aperiatur.*

34. *Tandem primæ corporis regiones exhibita Caſſiâ, El. diaprunis paſſulati, diaphœnicon, (quod & poſterius nonnulli in formâ ſolidâ exhibent, ſuprabibendo unc. iij. vel plures Olei dulcis) vel etiam Terebinthinâ Venetâ pulv. glycyrrhizæ aſperſâ, depurentur.*

35. *Quo peracto ad calculum minuentia & deturbantia veniendum, quæ præſtat tenuitate partium & proprietate ſubſtantiæ id efficere, quam caliditate. Huc pertinent millepedes præparati, tali leporini, lap. melanuri, ſanguis hircinus, cinis leporis reſciſſo & abjecto capite uſti, lapis ſpon-*

ſpongiarum, cinis putaminum ovorum gallinaceorum, è quibus iam pullus eſt exclusus, oculi cancrorum aut gammarorum, & multa alia, quæ à Galeno l. de Theriacâ ad Piſonem c. 9. l. 3. de med. fac. parab. §. 208. 211. 213. 214. 226. lib. 10. κτ τόπους. c. 1. §. 8. 9. 10. 11. 12. & ſeqq. aliijſq; in locis propoſita videri poterunt.

36. Horum pulveres in aq. ſaxifragiæ, omnium florum, Ononidis, fragariæ, graminis, benedictæ Caryophyllatæ, ſimilive ſingulis diebus, attamen de conſilio Cratonis p. 14. conſil. longiſſimè poſt paſtum exhibenda ſunt.

37. Ex Chymicis præparationibus ijſdem in aquis propinari poterunt Mag oculorum ♋ Spir. Iuniperi, Terebinthinæ, Vitrioli, Tartari, Cryſtallorum, Ol. ſuccini. Nitrum præparatum & Cryſtalliſatum.

38. Extraordinariam ſi dolor nos aggredi curam urgeat, hanc vulgi practicantium de ſententiâ Troch. de Alkakengi cum Opio exhibitione perficiemus: rectius tamen Laudanum Opiatum cum aq. Halicacabi exhibitum id præſtabit.

39. Foris quoq; inſeſſiones in decoctis anodynis & emollientibus, inunctionesq; cum Ol. ſcorpionum &c. hoc perficere obſervatum fuit.

40. Calculum veſicæ ijſdem medijs exſtirpabimus: rectius tamen aquâ Epiphanij empirici à Geſnero alicubi deſcriptâ per Catheterem in veſi-

veſicam immiſſâ, inſuperque foris pube cum perinæo eâdem imbutâ.

41. Sectionem è Medicinâ ad Carnificinam Lithotomorum, tanquam inutilem & periculi plenam hiſtoriâ ab Hor. Augenio in epiſtolâ quadam de Nephritico deſperato à Ieſuitâ reſtituto, propoſitâ, edocti, relegamus.

FINIS.

B 747